PA

IN

VIR

S. J
ES

Et

A

D.
Maj
le

PAT
Typ
S

PARACLETICA
IN SANCTISSIMAM DEIPARAM VIRGINEM MARIAM

AUCTORE

S. JOANNE DAMASCENO
E Sacro Ordine S. Basilii Magni

Primum Latinitate donata,
Et nunc denuo in lucem edita
A Reverendissimo Patre
D. CLEMENTE
Majore Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ.

PATAVII, MDCCXLIII.
Typis Jo: Baptistæ Conzatti.
Superiorum Permissu.

Tibi Domine JESU et Sanctissimae
matri tuae Virgini M. et S. JOSEPH Commen-
do animam meam et corpus meum custo-
diendum in vitam aeternam [illegible] Spes
mea JESUS et MARIA in omni tribulatio-
ne et angustia succurrat mihi pater [illegible]
[illegible] S. Patrone potentissimi supra o-
mnes Sanctos amandi. Non habeo pau-
per et peregrinus in hoc mundo tam fideles
et charos amicos ut omnibus charis et no-
tis meis sicut do vobis confido.

MAGNÆ VIRGINI
DEIPARÆ
Aureum hoc opus
S. Joannis Damasceni
quod Hippolytus Marraccius
Lucensis
E Congregatione
Clericorum Regularium
Matris Dei,
Eidem
adhuc mortalis voverat:
Ludovicus Marraccius
Sanguine, & Religione
Frater
Suo, & illius
jam mortalitate exuti
nomine
Communi Dominæ
Votum solvens
Humillimo obsequio
D. D. D.

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOA.

A*Vendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbazione del P. Fr. Paolo Antonio Ambrogi Inquisitore di Padova nel Libro intitolato :* Paracletica in Sanctissimam Deiparam &c. Auctore S. Joanne Damasceno, *non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo Licenza a* Gio: Battista Conzatti *Stampatore in Padova, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padoa.*

Dat. li 20. Febbrajo 1743.

(Alvise Mocenigo K. Proc. Rif.
(Zuane Querini Proc. Rif.
(

Agostino Bianchi Segret.

AD LECTOREM *BEATISSIMÆ* VIRGINIS CULTOREM.

TIBI, qui Deiparæ Virginis cultum profiteris, ejuſque tutelam, ac benevolentiam ambis: aureum hunc libellum exhibeo. Hic te plurimum ad votum tuum conſequendum juvabit. Obſequia nulla, ut puto, gratiora erunt Reginæ noſtræ, quam ea, quibus Sanctiſſimi Viri ejuſdem gratiam inire ſtuduerunt. Inter hos, & quidem præcipuus, fuit Sanctus Joannes Damaſcenus, cujus vitam tibi per compendium propo-

no. Multa hic ſcripſit manu illa, quam Agarenorum Principis juſſu abſciſſam, ſalutis Mater manu ſua medica reſtituit. Pleraque ad Beatiſſimam Deiparam ſpectant; ſed inter hæc ipſa principem locum obtinet Opuſculum hoc, quod, PARACLETICA IN SANCTISSIMAM DEIPARAM, inſcribitur. De quo P. Hippolytus Marraccius Lucenſis, e Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei, ob plurima, quæ de eadem Deipara ſcripſit, toti penè Chriſtiano orbi notiſſimus; in principio Notarum ad Mariale Sancti Joannis Damaſceni, hæc habet: *Opus hoc verè aureum, & præ totius Orbis gemmis pretioſum; Paracletica in Sanctiſſimam Deiparam, inſcriptum, atque in Stichera, & Canones diviſum: extat Græcè M.S. ſub nomine Sancti Joannis Damaſceni in antiquiſſimo Codice Pergaminaceo Bibliothecæ Monaſterii Cryptæ Ferratæ, nec non in al-*

altero antiquissimo Codice Bibliothecæ Sancti Salvatoris Messanæ : & nunquam antea editum, ex interpretatione P. Ludovici Marraccii, mei, & sanguinis conjunctione, & religionis professione fratris; tanquam pretiosissimus thesaurus, ingentem lætitiæ, fructusque materiam Marianis Cultoribus allaturum, nunc primùm in publicum editur. Hæc ille

Superest ut Græcarum vocum, quas aliorum Scriptorum exempla secutus, volui retinere, interpretationem tibi exhibeam, & de paucis quibusdam aliis ad hunc libellum spectantibus, te breviter commoneam.

Paracletica: Græcè, παρακλητικά: vox pluralis numeri, potest Latinè reddi, *Invocatoria*, vel *Advocatoria*, vel etiam *Consolatoria*; nempè Cantica, quibus invocatur Deiparæ Virginis, humani generis Ad-

vocatæ, auxilium: vel Anima ſe ipſam conſolatur ad eamdem Virginem confugiendo, eamque invocando.

Canon: Græcè, Κανών: ideſt *Regula*: continet enim certam quamdam regulam, ſeu numerum Odarum.

Ode: Græcè, Ωδή: Vox Latinis ſatis nota, idemque ſonans, quod *Cantio*, ſeu *Canticum*.

Stichera: Græcè, Στιχηρά: Vox numeri multitudinis: idem valet ac, *Verſus*, ſeu *Verſu conſcripta*.

Cathiſma: Græcè, Κάθισμα: ideſt *Seſſio*; quia dum Lector illud canit, qui ſunt in Choro, ſedent.

Echus: Græcè, Ἦχος: ſignificat *Sonum*, ſeu *Tonum*. Sunt autem Toni apud Græcos octo, quemadmodum & apud Latinos. Quatuor dicuntur ſimpliciter *Toni*:

tres,

tres, *Toni obliqui*, & unus *Tonus gravis*.

Plagii: Græcè πλαγίȣ: ideſt *Obliqui*, Forſitan ex eo, quia in modulatione vox infleᶜtitur,& variatur.

Barys: Græcè, Βαρύς: ideſt *Gravis*, Tonus, quem etiam vulgò nos *Barytonum* nuncupamus.

Contacium: Græcè, Κοντάκιον, fortaſſe à vulgari græco vocabulo κοντὸς: nempè *brevis*: quaſi dicas: *Breviarium*: eſt enim quoddam Canticum, ſeu Capitulum breve.

OEchus: Græcè, Οἶκος: ideſt, *Domus*: eſt aliud genus Cantici, vel Capituli, quod hic ponitur poſt Contacium. Hæc de vocibus Græcis.

Continet autem totus Liber octo Hebdomadas, quæ a Sabbatho incipiunt, & deſinunt in Feriam ſextam, in qua ponuntur Stichera

tantùm ſine Canone; & è converſo in Sabbatho ponitur Canon ſine Sticheris.

Tam Stichera, quàm Odæ continent tres Strophas: in ultimo tamen Canone quatuor Strophæ habentur in ſingulis Odis.

Canon complectitur Odas novem: ſed ſemper deeſt Ode ſecunda, ex ritu Græcorum.

Poſt ſextam Oden ſemper ponitur Cathiſma, ſed in ultimo Canone pro Cathiſmate ponitur Contacium, & Oecus; & poſt ipſum Canonem, duo alia Contacia cum Oeco adjuncto collocantur.

Diriguntur omnia ad Beatiſſimam Virginem, præter pauca, quibus Chriſtus invocatur, plerumque per interceſſionem Matris ipſius. Semel etiam, aut iterum ad Sanctos ſupplicatio dirigitur.

Quædam ſæpius, vel iiſdem, vel ſimilibus verbis repetuntur: nullum tamen tædium pariunt,

quia

quia omnia ſuavitate pleniſſima.

In fine nonnullarum Odarum ponitur aliquis ex verſiculis Cantici trium puerorum: ſed pro iis (quia tantùm innuuntur hujuſmodi verſiculi, utpotè Cantoribus noti) poterit Mariæ cultor, aliquid, quod ad Matrem, vel ad Filium ſpectet, prout Ode poſtulaverit, ſubſtituere: nimirum *Benedicta tu in mulieribus, &c.* vel *Beata viſcera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium:* vel *Beatus venter qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti:* vel alia hujuſmodi.

Licet autem Paracletica in octo Hebdomadarum dies diſtributa ſint: poterit tamen Virginis devotus illa pro libito partiri; vel etiam per totius anni dies diſtribuere; illud pro certo habens, Beatiſſimam Virginem non tam multitudine, aut prolixitate precum, quàm affectu, ac pietate precantium delectari.

Postremò si quando à S. Joanne Damasceno quædam B. Virgini tribuantur, quæ Christo tantùm videntur convenire: ut cum vocat eam, *solam hominum Mediatricem*: vel voluntatem ejus *divinam* appellat: hæc & alia hujusmodi, in Catholico sensu accipienda sunt: ut scilicet ipsa sola sit Mediatrix maxima, vel præcipua post Christum, vel sola inter mulieres per Antonomasiam, mereatur hoc nomen. Porrò *divina voluntas*, idem valet, ac per gratiam deificata, vel Deo unita, vel excellentissima; nam quæ maximè excellunt, *divina* Græci appellare consueverunt: & ita cætera similia explicanda.

SANCTI JOANNIS DAMASCENI
VITA.

JOANNES, à Damaſco Urbe Syriæ primaria, cognomine Damaſcenus: ab aurea in ſcribendo eloquentia Chriſorrhoas: Chriſtianis, ac nobilibus Parentibus natus, ab ineunte ætate ſub ſapientiſſimo Præceptore, nomine Coſma, liberalibus diſciplinis, & humanæ, divinæque Philoſophiæ præceptis inſtructus; à Saracenorum Principe in primi Conſiliarii locum invitus adſciſcitur. Fuit autem à puero erga Deiparam Virginem pietati addictiſſimus, ejuſdemque Horarias preces quotidie ſtudioſiſſimè perſolvebat: & in illius honorem Virginitatem perpetuò ſervavit.

Cum vero Leo Iſauricus Sacris

Imaginibus bellum indixisset: Joannes earumdem cultum, scriptis passim ad Catholicos literis propugnabat. Id molestissimè ferens impius Imperator, epistolam quamdam scribendam curavit, quæ Joannis characterem imitaretur, eamque ad Agarenorum Principem misit; admonens eum, à Consiliario ipsius ad se scriptam fuisse, ut ad Urbem Damascenam ex improviso occupandam solicitaret. Hac nimirum fraude Sanctissimum Virum perdere se posse nefarius homo sperabat. Barbarus Græco nimis credulus, subito furore percitus, Consiliarii sui manum amputari, eamque in foro publicè suspendi imperavit. Nulla mora. Principis jussis obtemperatum. Ingruente Vespere, ut manus sibi præcisa restitueretur, non sine multis precibus à Principe Joannes impetravit. Manum receptam, in domestico Sacello ante

te Sacram Deiparæ Virginis Imaginem provolutus, trunci brachii extremitati, tanquam eidem iterum commiſſurus, aptavit. Tum in preces effuſus, Patronæ ſuæ medicam manum depoſcebat. In ſoporem prolapſum, viſa eſt Deipara ex Imagine illa blandis verbis conſolari, abſciſſamque manum brachio perfectè reſtituere. Expergectus manè, ita rem eſſe, ſicut per ſomnium viderat, comprobavit. In lætas ſtatim voces, Patronæ ſuæ gratias agens, erupit. Accurrunt domeſtici, obſtupeſcunt, gratulantur. Vicinia tota miraculi rumore repletur. Res ad Principem defertur. Joanni manum nequaquam abſciſſam fuiſſe, maligni quidam perſuadere conantur. Jubet ille ad ſe Joannem accerſiri. Ubi adfuit, manum illi perfectè reſtitutam videt. Fraudem primò ſuſpicatur. At ubi rem, quemadmodum evenerat,

ab ipſo audit, & lucida linea ſe-ctūram manus, in miraculi teſtimonium, cicatricis loco ſignatam intuetur: in ſtuporem rapitur: Magnæ Virginis potentiam extollit: Joannis innocentiam agnoſcit. Illum, non ſolùm perbenignis verbis alloquitur; ſed amicum ſibi ut antea excipit, primumque Conſiliarium ſe illum retenturum pollicetur. Joannes verò honore illo humiliter recuſato; ægrè à Principe obtinere potuit, ut privatam vitam impoſterum ducere ſibi liceret.

Hoc ubi impetravit, mox in ſanctam Hieroſolymorum Urbem ſe contulit: ſacriſque illius omnibus locis religiosè perluſtratis, in Eremum ad Lauram Sancti Sabæ ſeceſſit, ſeque Monaſticæ vitæ tyronem humiliter obtulit. Cœnobio exceptus, ſub Senioris cujuſdam ex antiquioribus diſciplina traditus fuit. Is, ut erat auſteræ ſeveræque naturæ, Joannem duriùs

fortasse, quam par erat, exercebat. Nam, ut cætera omittam, præcepit ei, ut sportarum fascem in humeros sublatum, e Laura Damascum, nempè è Palestina in Syriam, deferret; ibique duplo quam vendi consueverant, pretio distraheret. Paruit statim alacriter Joannes: & in ea Urbe, in qua primum gesserat Magistratum, pannosus, & sportis onustus comparuit: seque aliis risus, aliis admirationis spectaculum exhibuit. Præceperat autem ei Senior, ne quid, se inconsulto, scriberet, aliudve vel minimum agendum susciperet. Id ille exactissimè semper observavit: donec Monachus quidam, qui ex germani sui morte extremum dolorem mœroremque conceperat, eum rogavit, ut ad tristitiam aliquantisper levandam, carmen aliquod sibi conscriberet. Recusavit diu Joannes, ne Præceptoris sui mandata parvipendere videretur: sed tandem im-

por-

portunis Monachi precibus coactus, calamo arrepto, carmen cœpit conscribere: quod dum voce modularetur, supervenit ex improviso Senior; qui indignatus, quod se inscio, Monacho illi morem ea in re gessisset: protinus illum à se suoque conturbenio ejecit: Joannes humi prostratus ac supplex, senem placare omni ratione conatus est; sed frustra. Vix tandem, cæteris pro se Monachis intercedentibus, obtinuit: ut se iterum in societatem suam reciperet, si antea omnes Lauræ cellas à sordibus, & earum latrinas à stercore repurgasset. Stomachati sunt omnes tantum hominis rigorem. Joannes tamen æquo animo, hilarique vultu sese rigidæ subjecit sententiæ: statimque proximam Præceptoris sui domicilio cellam ingressus, manu illa, quæ divina Deiparæ Virginis ope restituta fuerat; immunda quæque ac sordida cœpit abstergere, atque a-

ver-

verrere, non ſine magna omnium Monachorum admiratione. Quin & Senior ipſe, tanta diſcipuli ſui humilitate commotus, feſtinus accurrit, atque illum complexus, ab ejuſdem collo pendebat; & manus, oculos, atque humeros exoſculabatur. Joannes pudore ſuffuſus, ſe ſe humi demittebat, & ſpiritualem Patrem, ne ab exercitatione illa, quæ vilitatem ſuam maximè decebat, ipſum removeret, enixè rogabat. At Senior, diſcipuli precibus minimè acquieſcens: illum iterum in contubernium ſuum amantiſſimè recepit. Quadam verò nocte apparuit dormienti Seni Beatiſſima Virgo: eumque juſſit, liberam diſcipulo de ſe ſcribendi facultatem relinquere: & quantus hic, quamque Eccleſiæ proficuus in ſacris hymnis, canticiſque pangendis futurus eſſet, oſtendit. Mane evigilans Senior, Joannem ad ſe vocat: eique mandatum, quod à Deipara acceperat,

exponit. Ille ex tam læto nuncio modestè exultans: totum se imposterum ad Dominæ suæ laudes calamo, voceque celebrandas dedit. Haud multo post Sacerdotii dignitate insignitus: in illius honorem Immaculatam Deo Hostiam frequentissimè offerebat. Perseveravit deinde in Laura sub Regula S. Basilii Magni per plures annos, quibus multa, & præclarissima scripsit opera, præsertim ad Ecclesiasticam melodiam, & ad Sanctissimæ Virginis laudes spectantia: in quibus Socium & Adjutorem habuit Cosmam illum, quem in juventute habuerat Præceptorem. *Hæc verò* (Teste Suida) *nullam adhuc comparationem admiserunt, nec quamdiu hic mundus durabit, admittent.* Denique plenus diebus, ac meritis, ad cœlestem Angelorum melodiam evolavit. Celebrant illius memoriam Græci, die quarta Decembris: Latini verò, die sexta Maii.

SAB-

SABBATHO ad Vesperas.

ECHUS I. ODE I.

O Domina, tota immaculata ac pura, quæ bonum Dominum utero portasti, salvum fac me servum tuum, & libera me ab æterna damnatione, ut hymnis canam magnalia tua, salutem consecutus.

Totius vitæ meæ præses fuisti, ò pura Deipara, & à plurimis me periculis liberasti: propterea gratiarum actionis voces tibi concino; sed à futuris etiam suppliciis eripe me.

Tentationum incursus, & periculorum procellas seda, ò Mater Immaculatissima, Redemptoris, & Creatoris Deique nostri salutis gratiam, & propitiationem mihi impertire.

ODE

ODE III.

Medere, Domina pura, paſſionibus cordis mei malis, prorſuſque remedio carentibus, concedens mihi tuam viſitationem, magnamque miſericordiam, & exultationem futuræ ſpei Creatoris mei.

Vitæ meæ cuſtodem, & murum inexpugnabilem cum te hactenus habuerim: etiam uſque in finem inveniam te, ò tota Immaculata, protectionem, & præſidium inexpugnabile, quod me ad Deum conducat, & vitam mihi, gloriamque præſtet æternam.

Bonitatem confer, Domina pura, animæ meæ infelici, ac peccatis graviter vitiatæ; Tu, quæ Verbum omni bonitate plenum peperiſti, quod propter ſuam bonitatem, cum hominibus converſatum eſt, & Diaboli vires confregit.

ODE

ODE IV.

Mundi gaudium, & exultatio facta es, cum Christum hominum exultationem peperisti: propterea supplex te, Dei Mater rogo, ut cor meum gaudio repleas, peccati mœrorem auferendo.

Cum te in vita mea adjutorium habuerim, universas inimicorum insidias sine læsione pertransivi: propterea cum gratiarum actione ad te clamo, ut etiam futuræ benevolentiæ tuæ dignum me facias, ò Virgo laudibus omnibus celebranda.

Domina mundi Deipara, adjuva me: ne me repellas à te pudore suffusum, & inanem: sed miserere, precor, & deprecationes meas cito comple, salutare mihi gaudium impertiendo.

ODE V.

In tuæ multæ benignitatis pelago confido nunc, ò Deipara, ac me

ipsum

ipſum in te projicio immobiliter, à te poſtulans, ut invenire poſſim peccatorum abſolutionem, & incomprehenſibilem gloriam adipiſci.

In vita mea gubernatio mea firma fuiſti, liberans me à multorum lapſuum tempeſtate. Rogo te, ut etiam in exitu meo aſſiſtas mihi, mihique ſalutem concedas, Mater Chriſti Dei.

Medere animæ meæ doloribus, ò Puriſſima, quæ peperiſti illum, qui morbos noſtros curavit paſſionibus ſuis ſalutiferis, ac ſummè venerandis, ut te fideliter magnificem.

ODE VI.

Viſcerum miſericordiæ tuæ pelagus multum eſt, ò Inculpabiliſſima: propterea venio ad te cum fiducia, & detego tibi delicta mea, & paſſiones meas omnes tibi confiteor.

Animæ meæ à corpore ſolutionem ſubiturus, clamo ad te: Tu eſto mihi Adjutrix, ò ſola Pura; & ab

omni

omni diabolica perturbatione libera me, & dele peccata mea.

Maria, Dei habitaculum, miserere servi tui assiduè clamantis ad te, & defensionem tuam deposcentis: & esto mihi salus, ac propitiatio, & salva me.

CATHISMA.

Lacrymarum fontes concede mihi, Deipara, per quos voluptatum flammas extinguens, animæ meæ sulcum fructiferum efficiam: & dignum me fac, ut cum humilitate cordis, vitæ meæ dies absolvam, ò Virgo ab omni culpa immunis.

ODE VII.

Vidit in te, ò Deipara impolluta, omnis Creatura cum veritate miracula illa plena stupore, quæ olim omnes Prophetæ divini, ac justi prævidere cupierunt: propterea esto & mihi adjutrix, & ne repellas me.

Tremendi Judicii examen, ac sen-

tentiam Dei, tormentorumque horribilitatem mente revolvens contremiſco, quippe qui malam vitam tranſegerim. Mater Dei, eſto mihi adjutrix, & ne repellas me.

Audi, ò Sanctiſſima Domina, labores meos, ac ſuſpiria; & concede mihi propitiationem, & redemptionem multorum peccatorum meorum; & dignum me fac ſalute: Tu enim es expectatio mea veneranda, & ſpes ſalutis.

ODE VIII.

Non invenio in me penitus juſtitiæ actum, cum iniqua patraverim, ò tota Immaculata, ac Pura: ideo ſuſpirans lamentor; quid faciam? O omnium Domina, eſto mihi auxilium, ne abſorbeat me perditionis profundum.

O tu, quæ omnium Creatorem ac Deum ineffabiliter concepiſti, libera me à corruptione, ac multiplicibus tentationibus; à tremenda ſen-

ſententia, & futuro judicio, atque ab igne æterno inextinguibili: ut te per omnia ſæcula glorificare poſſim.

Domus Divina facta es, ò Pura, & Tabernaculum Verbi, quod ſine ſemine ex utero tuo ſancto proceſſit: propterea, ò Puella, me dœmonum ſpeluncam effectum, tranſmuta, & fac me per opera Deo placentia, domum Trinitatis.

ODE IX.

Verbum Dei, principio carens, atque omnia antecedens, tibi ſupplico, teque precor cum lacrymis, ut immenſæ peccatorum meorum multitudini ignoſcas per interceſſiones Matris tuæ mundiſſimæ: tu enim inenarrabili præditus es humanitate.

Suſcipe nunc meam cum lacrymis ſupplicationem, & concede mihi remiſſionem multorum peccatorum, quæ feci, ò benigniſſima Deipara, atque omnibus laudibus digna Domina: ad extremum quippe

ex immodica desperatione deficio.

Totam ætatem meam prodegi; passionibus plenam, atque impuram vitam sectatus, animamque, & corpus pravis affectibus corrupi, nec spem salutis ulterius habeo; sed tu, Virgo Mater, miserationibus tuis Dominum converte.

DOMINICA
ad Vesperas.

STICHERA. ECHUS I.

TU Templum sanctum Dei, Cælis amplius, ac spaciosius, & ipsis Cherubim sanctius, Deo gratissima, ac Sanctissima Puella, mentem meam imple gratia, & oculos cordis illumina; concedens mihi tuis acceptissimis intercessionibus peccatorum omnium indulgentiam.

Sine corruptione Deum genuisti, qui corruptionem imminuit, & incorruptionem emanare fecit, ò Incorrupta, & Immaculata: propterea de-

deprecor te, ut me malis gravibus corruptum, intercessionibus tuis, ò pura, renoves, ut glorificem te, & cum affectu te magnificem, quæ magnificas genus nostrum.

Ignem Christum in tuis visceribus, ò Immaculatissima, suscepisti, & incombusta permansisti: propterea te precor, ut intercessione tua ab ignis ardore, & à tormento æterno, atque ab omni tribulatione, variisque afflictionibus liberes me, ad tuam protectionem confugientem.

CANON.

ECHUS I. ODE I.

Verbum sanctissimum cum te templum sanctum invenisset, in utero tuo, ò impolluta, habitavit; donans iis, qui te Virgo castissima, honorant, sanctificationem, illuminationem, & redemptionem.

Tu quæ vitæ botrum peperisti, vinum salutare emittentem, me pec-

catorum ebrietate obtenebratum, velut compatiens, fac mentis compotem, ac ſobrium; & deduc me ad rectas pœnitentiæ vias.

Me ſemper mente, ac ſententia delabentem, praviſque cogitationibus abſtractum, & inſanè illectum, & totum in poteſtatem hoſtium penè redactum, Domina ne deſpicias.

ODE III.

Tu, quæ Univerſi Dominum peperiſti, & omnium es Domina; erue me nunc à dominio paſſionum ſordidarum, ò inculpabiliſſima; etenim iiſdem me ipſum miſerè ſubegi ob meam ſocordiam, ac mentis tortuoſitatem.

Tu, quæ ſemper habes compaſſionem, quippe quæ ſola Dominum bonum, compaſſioneque plenum concepiſti; ne deſpicias me, ò impolluta, compaſſione, ac miſericordia ex naturæ improbitate carentem; ſed converte me interceſſionibus tuis.

Libera me, ò Virgo, à tempeſtate cogitationum perturbatarum, periculorum, tribulationum, ac tentationum; & dirige me in portus divinos, & tranquillitate imple mentem meam, rogo te, ò ſola omni laude digniſſima.

ODE IV.

Nubes tota lucida, quæ Solem juſtitiæ Jeſum lucis datorem, ac Deum concepiſti: animam meam radiis perfunde, quæ in peccati nocte verſatur, & voluptatum nigredine obcœcata eſt.

Libera me à feris (Dœmonibus ſcilicet) animæ meæ corruptoribus, qui ſemper ſtudent per dolum mihi nocere, ò promptum, ac paratum Chriſtianorum auxilium, tribulatorum defenſio, Dei Genitrix, omni culpa carens Domina.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus eſt, quem ex caſtis ſanguinibus tuis, ò Pura, concepiſti: cum-

dem assiduè deprecare, ò Virgo, ut me servum tuum corpore, atque anima castum conservet.

ODE V.

Animam meam virtutibus fructiferam effice, ò omni labe carens Virgo, infructuosas cogitationes meas removens, & peccati spinas me suffocantes, radicitùs abscindens.

Verbum Divinum per verbum in utero continuisti supra rationem, ò Deipara: ipsum ergo deprecare, ut ab irrationabilibus actibus, mortiferisque voluptatibus liberet servos tuos.

Tu, quæ lignum germinans peccatum, germine tuo arefecisti; carnis meæ motus, & passionum impetus, ac tempestates adversantes extermina, ut laudare possim te, ò omni laude dignissima.

ODE VI.

Peremptus est hostis fructu tuo vi-

vitali, ò Deo cariſſima, & palam peſſundatus eſt Infernus; & qui in vinculis detinebantur liberati ſunt: quamobrem clamo: diſſolve paſſiones cordis mei.

Me, propter malitiam à Deo extraneum, longèque remotum, ò Dei Sponſa ab omni labe prorſus vacua, eidem domeſticum effice ſingulari interceſſione tua, ut poſſim cantare magnalia potentiæ tuæ.

Qui erat ſine tempore, filius in tempore factus eſt ex te natus, quem tu, o Pura, deprecare, ut temporariis cordis mei paſſionibus medelam adhibeat, meque deducat ad vitam, ac ſalutem.

CATHISMA.

Vita mea mala eſt, actiones meæ pravæ ſunt, mens mea terrenis cogitationibus permixta, & ego in totum damnatus, ò Inculpatiſſima. At tu miſerere mei, & ab operum ſordibus munda me confugientem

ad te cum fide, & salva me, obsecro.

ODE VII.

O Porta lucis, aperi mihi lucidas portas pœnitentiæ, & voluptatum aditus occlude precibus tuis, & cogitationes meas malas abige, ut laudem, & glorificem insuperabilem potentiam tuam.

Animæ meæ sordes, quæ mihi ex mea socordia graviter inhæsere, tu Castissima, misericordiarum tuarum stillis ablue, & mentis meæ oculos purgatos redde, ut incessantibus vocibus collaudem magnalia tua.

Tu, quæ vitæ fontem genuisti, ò Immaculata, omnique labe carens, me Dæmonum invasionibus crudeli morte extinctum, intercessionibus tuis vivifica, dum filio tuo concino: laudabilis es Deus Patrum nostrorum, &c.

ODE VIII.

Passiones me comprehensum tyran-

rannicè premunt ob Dœmonum violentiam, atque injuriam; ſed cum habeam te refugium, per quod ſalutem conſequor, ò Immaculata, filio tuo concino: Benedicite omnia opera Domini Domino.

Tu, quæ Cælis es ſublimior, materialibus vitæ caſibus mentem meam effice ſublimiorem, ò Pura, canentem: Benedicite omnia opera, &c.

Virgo tota lucida, quæ lucis datorem Deum peperiſti, oculos cordis mei luce cognitionis divinæ illumina, ut canere poſſim. Omnia opera Dominum benedicite, &c.

ODE IX.

Salve gaudii genitrix: Salve unica mæroris exterminatrix: Salve quæ paſſionum nubila fugas, & intellectuali luce eos, qui te, Dei Genitrix, cum fide, & affectu magnificant, perfundis.

Deſicca, ò Caſtiſſima, omnes paſ-

ſionum mearum effuſiones, & peccatorum meorum profunditatem immenſam evacua, quæ ſalutiferum imbrem genuiſti, & pacis fluvium, ac magnum pelagum miſericordiæ.

Officina medica gratuita apparuiſti omnibus vulneratis, ò Caſta, & deſperationis eliminatio, portuſque ſalutaris illis, qui in vitæ pelagô verſantur, in quo omnis, qui confugit ſalutem adeptus, cum fide te glorificat.

FERIA II.
ad Veſperas.

STICHERA. ECHUS I.

SAnctum Tabernaculum te agnovimus, & venuſtum Palatium, & purum habitaculum, ò Virgo caſtiſſima: propterea te ſupplex rogo, ut animam meam paſſionibus multis maculatam emundes, & Spiritus Sancti habitaculum efficias; ut

ut cum fide, & affectu te glorificem:
Miſerere, ò Caſtiſſima, animæ confugientis ad te; & die, noctéque ſolicitam defenſionem tuam implorantis: & oppugnantes me hoſtes dejice virtute tua, ut glorificem te, & ut cum affectu magnificem te, Deipara, ſpes, quæ non confunditur.

Ecce accedo ad te, ò Caſta, & exclamo: Propitia eſto: ne repellas, Caſtiſſima Virgo, ſervum tuum nunc à te poſſeſſum: habes enim illum, quem peperiſti, interceſſionibus tuis obſequentem; quem nunc deprecare, ut animabus noſtris pacem, magnamque miſericordiam largiatur.

CANON. ECHUS I.

ODE I.

Fluenta lacrymarum internarum da mihi, ò irreprehenſibiliſſima, quæ indulgentiæ fontem peperiſti; quibus peccatorum meorum ſordes poſ-

possim abluere, & in humilitate vitam meam traducere.

Rebus omnibus sublimior facta es, ò Purissima, quæ Deum corpore vestisti: unde te supplex rogo, ut à passionum mearum sterquilinio me erigas, & ad divinam impassibilitatis sublimitatem perducas.

Ostende te mihi propitiam, ò casta, in die Judicii, te precor: & libera me ab omni supplicio gravissimo, atque horribilissimo, sub tuam protectionem, Domina, confugientem.

ODE III.

Tu, quæ velut Templum Dei omnium regis fuisti, me, ò Castissima, speluncam mortiferorum latronum effectum, libera ab eorumdem infestatione; & spiritus divini habitaculum mundum redde me.

Lacrymarum mihi rivos mitte, qui fluxiones mearum actionum malarum exsiccent, te precor, Dei-

para Virgo omni laude digniſſima, quæ Chriſtum Deum noſtrum, tranquiliſſimum miſericordiæ pelagum peperiſti.

Eſto robur meum, & turris mea firma, ò Deo gratiſſima, & ſcutum, & armatura inſuperabilis, repellens ſpiritualium hoſtium acies à nobis, qui te cum fide, atque affectu honoramus, ò Deipara Caſtiſſima.

ODE IV.

Dum Dœmonum fraude graviter à Dei præceptis abſtrahor, ne deſpicias me, ò Benigniſſima; ſed miſerere precor, & fac me eorum fraude ſuperiorem, dum ad tuam miſericordiam, ò Caſta, confugio.

Chriſte Deus, qui ſolus es Miſericors, per orationes illius, quæ te peperit, miſerere confidentium in te, & clemens eſto illis, & ad præceptorum tuorum lumen eos dirige, & dignos fac vitæ æternæ.

Ne ceſſes, ò Virgo, ad Dominum in-

intercedere, ut inutilium tuorum famulorum animabus misereatur. Nos enim semper te tamquam fortissimam propugnatricem, & adjutorium imploramus Castissima Domina.

ODE V.

Multorum lapsuum meorum torrentes irruperunt, & domum animæ meæ dejecerunt, ò Castissima. Sed Tu Deipara, quæ es erectio primorum parentum, excita, atque erige me servum tuum.

Me miserum in passionum luto infixum, & in multarum culparum procelloso mari pereuntem, Tu Domina porrigens dexteram, educito; & ad pœnitentiæ portum deduc me.

Aquam divinæ compunctionis da mihi semper, passionum mearum maculas abluens, ut laudem te, Deipara, salvatus in protectione tua.

O-

ODE VI.

Chirographum delictorum meorum, ò Pura, illius, qui ex utero tuo impolluto natus eſt, haſta confringens, fac me dignum, ut deſcribar in libro Electorum, dum ad divinam protectionem tuam confugio.

Propitius eſto nobis Chriſte ſervis tuis, per interceſſiones illius, quæ te peperit: & tamquam ſolus potens, emitte nobis peccatorum indulgentiam: tu enim Salvator es, & liberator omnium ſperantium in te.

Circundant me impetus adverſariorum, trahentes me ad mortem: ſed tu confirma me in petra mandatorum Chriſti, præveniens illos, ò omni laude digniſſima: & deduc me in vitam æternam.

CATHISMA.

Luce tua, ò bona, ac pura, irradia animam meam verſantem in tene-

tenebris, & illius duritiam dissolve, & doce me facere voluntatem Filii tui; ut remissionem multorum lapsuum meorum inveniam, ò Castissima; & precibus tuis liberer ab igne inextinguibili.

ODE. VII.

Velut ea, quæ vitæ fontem genuisti, resuscita animam meam mortuam vivificante dextera tua, ò Castissima: & fac me dignum, ut cum compunctione cordis clamare possim: Laudabilis es Deus Patrum nostrorum, &c.

Novus Adam, qui est ante sæcula Deus, ex castis sanguinibus tuis nasci voluit, atque inter nos versari: quem nunc tu deprecare, ut me vetustate confectum renovare dignetur, dum clamo: Laudabilis &c.

Velut compatiens, & miserator Dominus, inclina, ò benignissima, aurem tuam, & audi vocem omnium clamantium ad te. Esto nobis

pro-

propitius per intercessiones Matris tuæ, dum canimus: Laudabilis, &c.

ODE VIII.

Illumina, ò Porta lucis, oculum cordis mei; passionum, pravorumque affectuum nubes, & profundas tenebras expellens, ò Castissima, ut cantare possim: Omnia opera Dominum laudate.

Ne cesses, ò castissima Domina, preces offerre pro omnibus, qui implorant te tamquam matrem Dei, clamantes: Omnia opera Dominum laudate.

Tu, quæ salutis auctorem Deum ineffabiliter peperisti, intercede pro omnibus impense clamantibus: O Virgo omni laude dignissima; te laudant omnia opera Domini.

ODE IX.

Grave pondus culparum mearum tolle, ò Deipara omnibus laudibus celebranda; & fac me dignum sem-

per portare leviſſimum jugum Filii, & Dei tui; & incedere per ſemitam, quæ ad ſupernam ducit hereditatem.

Contremiſco, ò Puriſſima, mente revolvens diem formidabilem adventus Chriſti; omnis enim vita mea peccatis plena eſt. Sed tunc miſerere mei, & ab univerſa damnatione libera me.

Annue, Sanctiſſima Domina, inutilis ſervi tui ſupplicationibus; & animæ, corporiſque mei turbationem in altiſſimam commuta tranquillitatem, ut te magnificem, protectione tua undequaque ſervatus.

FERIA III.
ad Veſperas.

STICHERA. ECHUS I.

COmputruerunt, ò Caſta Domina, cicatrices animæ meæ, & dejecto vultu incedo: à facie autem peccatorum meorum non eſt ſanitas in carne mea. Sed tu commiſe-

rata salva me: tu enim, ò Sanctissima Mater Virgo, genuisti illum, qui infirmitates hominum portavit.

Spatiosissima Dei regio facta es, ò Innocentissima; & purissimum Tabernaculum, & domus sancta. Propterea te rogo, ut me Dœmonum domum, & passionum omnium tabernam liberare digneris ante mortem, ò tota inculpabilis, ut exiguum invenire possim refrigerium.

Lucis, quæ effulsit ex Patre, habitaculum facta es, ò sola Casta. Unde exclamo ad te: Illustra virtutum lumine animam meam passionibus obtenebratam, & fac me dignum tabernaculis lucidis in die judicii, ò Immaculata.

C A N O N.

ECHUS I. ODE I.

Virgo sola omni laude digna: Virgo, quæ Deo corpus dedisti: Virgo, quæ omnibus vitæ æternæ concilia-

trix fuiſti: affulge mihi luce pœnitentiæ, diſſolvens obſcuritatem peccatorum meorum.

Ecce nunc confugi ad te, tegumentum meum, & divinam defenſionem: viſcera gratiæ tuæ mihi aperta demonſtra: ne mihi iraſcaris: ne me torvis oculis aſpicias: ne ſinas me in finem perire.

Vulnera cordis mei, ulcera animæ meæ curatu difficillima, tibi denudo, & oſtendo, exclamans voce magna: O Mediatrix eorum, qui infirmitate laborant, ne deſpicias me in peccatorum morbo verſantem.

ODE III.

Tu propugnatrix facta es eorum, qui in neceſſitatibus, ac tribulationibus poſiti ſunt; Tu benigniſſima gubernatrix es in tempeſtate vitæ hujus. Propterea ad te ſupplex exclamo: Auxilium tuum, ô ſola Caſta, largire ſervo tuo.

Apparuiſti Cœlis latior, concipiens

piens omnium Deum,& continens in ulnis tuis eum, qui continet universa. Unde deprecor te, ò Casta, ut a molestissimis passionibus, quibus comprehendor, liberes me quantocyus.

Multitudo peccatorum, & periculorum in profundum mergit me, ò Innocentissima: sed tu in portum, tranquillitatis, & in lætissimam stationem tuæ Virginalissimæ gratiæ ingredi me faciens, da mihi, ò Casta, ut possim laudare magnalia tua.

ODE IV.

Virga divini auxilii tui cor meum siccum aperiens, lacrymarum fontes, ac fluvios fac emanare, ò Deipara; per quos à peccatorum inquinamento ablutum, Filio tuo nitidum repræsentetur.

Non habeo super terram alium patronum, nec defensorem, nec custodem, nec murum inexpugnabilem, nisi te solam, ò Casta, & Im-

Immaculata Deipara. Tu enim es ſpes mea, & ſalus, & tegmen, & adjutrix, & indulgentia peccatorum.

A materiali ſpecie, ò Caſta, mentem meam emundans, fac ut divino amore repleta, ſemper divina loquatur, divina imaginetur, ac divina ſolicitè operetur; itaut effugiam horrendum, perpetuoque duraturum ſupplicium.

ODE V.

In hora horribilis exitus mei, & animæ meæ à corpore ſeparationis, oſtende te mihi auxilium, & eſto mihi propugnatrix, ò Caſta, inviſibiles hoſtes invadentes me, repellens, & ad vitam deducens me.

Arma mihi præbe ſalutaria, ò Deipara, tota immaculata domina: da mihi auxilium tuum, & robur, & virtutem: quibus malorum Principis malignitatem devincens, divinæ ſalutis dignus efficiar, ò Deo gratiſſima.

Ca-

Cadentium es erectio, ægrotantium visitatio, ò Domina: propterea me graviter peccatis collapsum, & animo ægrotantem curare digneris, ac salutem mihi conferre, erigens me, ò Puella, manu potentiæ tuæ.

ODE VI.

O miserorum stabilis defensio: ò eorum, qui seducti sunt, dux infallibilis: ò ara inviolabilis recurrentium ad te: ò gratiæ thesaurus inexhaustus, sola Deipara Domina: tu libera me ab igne perenni.

Mater Dei Immaculata Domina, respice ad me, & miserere mei, qui multis Dœmonum invasionibus perditus sum, & gravatus multitudine duritiei. O Deipara, libera animam meã, & eripe eam ab igne sempiterno.

Sponsa Patris, Templum Spiritus, augustum Verbi habitaculum, exaudi preces servorum tuorum, ò Inviolata; & intende ad nos liberandos, & salvandos ab omni

malitia inimici, & à graviſſima damnatione æterna.

CATHISMA.

Guberna, ò Caſta, miſeram vitam meam, & miſerere animæ, quæ à multitudine peccatorum in profundum perditionis prolabitur, ò Innocentiſſima: in hora terribili mortis libera me, ò puriſſima; & diſſipa omnes Dœmonum inſidias.

ODE VII.

Miſerere miſerabilis animæ meæ, & ſalva eam, ò impollutiſſima; quam ego fędis cogitationibus miſer inquinavi, & illicitis voluptatibus prorſus inutilem reddidi. Tibi ergo ſupplex procido, ò Caſta, miſerere mei.

Educ me, Virgo, ex profundo pravarum mearum actionum, & ſiſte, ò impolluta, & caſta, paſſionum mearum fluctuationem, & cordis mei duritiam diſolve, & concede mihi fontem lacrymarum.

Luce tua inaccessibili illumina animam meam, ò libera ab omni culpa; & pœnitentiæ vias, quæ ad vitam deducunt, ostende mihi; ut constans, & immobilis clamem, ò Immaculatissima: Laudabilis Deus patrum, &c.

ODE VIII.

Incomparabili fortitudine tua; & potentia tua confringe hostes invisibiles, & eos dejice, ò Deipara, qui contra me hostilitatem suam semper ostendunt; & contere omnes arcus eorum, & obtunde jacula malitiæ eorum, ut cum tranquillitate animæ magnificem te.

Audi suspirium, quod exit à corde meo: auribus percipe vocem fletus mei, ò Deipara domina: ne despicias contritionem infelicis animæ meæ; sed concede mihi perfectam abrogationem peccatorum meorum, allevans pondus eorum, ò castissima, & faciens me dignum vitæ æternæ.

O Virgo, ineffabilium Domini mi-

raculorum promptuarium: ò revocatio Adæ: ò Evæ dolorum redemptio, & Mundi renovatio: tibi procidimus, teque rogamus, ò Deipara, ut liberationem nobis donans, cœlestis thalami dignos efficias.

ODE IX.

Totum me ipſum offero tuæ protectioni, ò ſummè irreprehenſibilis: ut à periculis, & tentationibus eripiar, à te depoſco.

Vide affectum, & deſiderium meum, Domina; vide & tribulationem meam; & opportunam gratiam per tuam miſericordiam mihi largire.

Tu es refugium, tu es propitiatorium mearum culparum: tu etiam patrocinium, meum, ò Caſtiſſima.

FERIA IV.
ad Veſperas.

STICHERA.

MUltitudo peccatorum meorum ſupergreſſa eſt caput meum

meum: velut onus grave gravata eſt ſuper me copia malorum meorum. Te precor aſſiduè, ne deſpicias ſervum tuum in hujuſmodi neceſſitate, ſed compaſſione tua alleva me.

In pelago vitæ, fluctibus jactatus, & adverſariorum ventis exagitatus, ad te clamo, Deipara: dirige me nunc in portum tranquillum pœnitentiæ, cogitationum tempeſtatem convertens in ſerenitatem.

Quis enarrabit, ò Puella, mirabilia tua? Etenim illum, quem Angelorum acies intueri non poſſunt, tamquam thronus Cherubicus ipſa portaſti. Eundem, ò Caſtiſſima, precare in tremenda die futuri judicii.

CANON.

ECHUS I. ODE I.

Tu, quæ ſola carentem tempore Deum, in tempore incarnatum pepériſti, o Sanctiſſima, atque immaculatiſſima; omnes temporaneas paſſiones miſerrimæ animæ meæ curare digneris.

Animæ meæ vulnera, ò castissima, cordis mei duritiam, cogitationum mearum tenebras, & mentis errores extermina, velut compassione prædita; & salva me intercessionibus tuis.

Tu, quæ lucem, & Redemptorem meum genuisti, libera me, ò Inviolata, à tenebris, & tormentis æternis, ut salutem consequutus, cantem viscera misericordiæ tuæ.

ODE III.

Sterilis mentis meæ infœcunditatem universam aufer, & fructiferam virtutibus affice animam meam, ò Sanctissima Deipara, fidelium auxilium.

Tremendum, ò Virgo Casta, Judicium, atque ignem illum inextinguibilem, & sententiam gravissimam prorsus formido: festina, ò Immaculata, & Casta, & salva me famulum tuum.

Libera me ab omni infortunio,

& à

& à plurimis ſcandalis ſerpentis; ab igne ſempiterno, & à tenebris, ò ſummè inculpabilis, quæ lucem nobis æternam peperiſti.

ODE IV.

Virgo Deipara, impollutum tabernaculum, munda nunc me pollutum peccatis, omnium miſeration m tuarum puriſſimis ſtillicidiis: & porrige mihi auxilii tui dexteram, ut exclamem: Gloria tibi Caſta Dei Sponſa.

Templum ſanctificatum facta es Dei qui in te habitavit ſupra mentis captum: ipſum nunc, Virgo, deprecare, ut nos à peccatorum ſordibus emundet; ut domus, & habitaculum Spiritus agnoſcamur.

Miſerere mei, ò Deipara, quæ ſola miſericordiæ fontem peperiſti: & gravem morbum animæ meæ, & duritiam cordis mei diſſolve, & da mihi lacrymarum fluenta ante finem, & compunctionem, & à malis liberationem.

ODE V.

Mortuum me olim reddidit guſtus malus in Edem: Tu autem, ò Caſta, enixa vitam, ob lignum antiquum mortuum, nunc me vivifica, & pacem mihi impertire.

Salva me, ò Caſtiſſima, à graviſſimis periculis: excita me à paſſionum ſterquilinio, & libera à captivitate, & vexatione peſſimorum Dęmonum me ſervum tuum inutilem.

Pupillas animæ meæ aperi, ò Caſta, ut intuear manifeſtè divinum ſplendorem, & tuam gloriam, ò ſummè inculpabilis; ut miſericordiam conſequar, & gloriam ſempiternam.

ODE VI.

Cum ego multis peccatis inquinatus ſim, te ſupplex rogo ſolam benignam, & tabernaculum incoinquinatum, ut ab omnibus ſordibus abluas me interceſſione tua.

Gu-

Gubernatrix esto mihi, ò Casta; in pelago gravissimarum vitæ difficultatum versanti, & dirige me ad portum salutis, & serva me.

Procella cogitationum, tempestas passionum, & peccatorum profundum, infelicem animam meam jactant: adjuva me Domina sancta.

CATHISMA.

Appropinquavit Judex; finis est in januis: expergiscere anima mea, & ex profundo cordis suspirans, exclama ad Matrem Dei nostri: libera me à tremendis tormentis, & in loco requiei constitue me, ò Virgo tota sine macula.

ODE VII.

Sanctifica, ò Dei Sponsa immaculata, & casta, animam meam passionibus inquinatam; & graves mentis captivitates, & cordi callum obductum, & Dæmonum impetus velociter extermina.

Vivifica, ò summè irreprehensibilis, mentem meam, carnis passionibus interemptam; & da mihi virtutem perficiendi ea, quæ Deo placent, ut magnificem te, & glorificem semper viscera misericordiæ tuæ.

Sola Virgo Mater, quæ Deum genuisti, mortifica voluptates carnis meæ; atque animæ meæ sordes velociter absterge; & libera me ab accusationibus Dęmonum pessimorum, & salva me.

ODE VIII.

Incarnatus est ex te dignè Deo is, qui carnis expers erat, quem deprecare, ò Castissima; ut morti tradat passiones carnis meę, & ad vitam reducat animam meam peccatis peremptam.

Adami terreni contritionem reparasti. Salvatorem generans, ò tota immaculata, & Casta: ipsum deprecare, ut animæ meæ incurabiliter ægrotantis curare plagas dignetur.

Exsuscita me in profundo malo-

rum

rum jacentem: oppugna eos, qui nunc oppugnant me: ò Casta, animam meam fœdis voluptatibus saumatam ne despicias, sed miserere illius, & salva eam.

ODE IX.

Cum sim peccatorum amicus, in negligentia vitam traduco, & incorruptum Tribunal Judicii contremisco, ò Casta Dei sponsa, in quo me tuis sanctis precibus indemnatum serva, ut te, ò Casta, velut meam præsidem, patronamque beatificem.

Horresco Tribunal, ò Virgo, & nomen, quod nihil latet, Filii tui, cum peccata multa in terra perpetraverim: & propterea ad te clamo; O plena visceribus misericordiæ Domina, adjuva me, & ex illa necessitate eripe me, & salva me, ò Casta.

O quam terribilis est dies examinis, ò Puella! quàm horribilis est sententia! quàm dura necessitas!

quis ſubſiſtet? Cæterum, ò Domina immaculatiſſima, miſerere ærumnoſæ animæ meæ, & ante finem da mihi, ò Caſta, remiſſionem.

FERIA V.
ad Veſperas.
STICHERA.

PEccatorum meorum ſaccum, ò Caſta, diſrumpe, & iniquitatum mearum pelliceas tunicas abſterge celeriter, & puro veſtimento ſalutis circumdato mihi, fac me dignum ingredi in thalamum cęleſtem.

Flumina multorum meorum peccatorum influentia, & gravium ventorum flatus irruentes dejecerunt, ò Deipara, domum infelicis cordis mei. At tu me iterum renova ad vitam interceſſionibus tuis, ò omnibus laudibus celebranda.

Puriſſimis divini Spiritus ſplendoribus concede, ò pura Deipara, ut irradietur caliginoſa, ac tetra

anima mea, & libera eam à tenebris exterioribus, & ut ſemper cum gaudio in ſplendoribus Sanctorum commoretur dignam fac eam.

CANON.

ECHUS I. ODE I.

Lacrymarum fontes largire mihi, ò Deipara, & puram humilitatem, & vitam inculpatam, atque inſtitutionem, ac diſciplinam immaculatam., ò ſummè irreprehenſibilis, ut bonitatis tuæ divitia glorificem.

Gladio interceſſionis tuæ, ò Caſta, pelliceas tunicas diſcinde, quibus nunc indutus ſum; & ſalutis veſtimento, & lætitiæ tunica indue me, ò Deo gratiſſima.

Abyſſum miſericordiæ genuiſti, ò Caſta, Chriſtum Deum noſtrum: propterea ſupplex te rogo, ut immenſorum meorum malorum abyſſum exſicces, ò Virgo, acceptiſſimis interceſſionibus tuis,

ODE III.

Medere, ò Domina casta, passionibus cordis mei; tu enim omnium medicum genuisti, qui infirmitates nostras portavit, & morbos tulit, Christum Deum nostrum, ò Virgo Deipara omni laude dignissima.

Per fraudem me attrahere, ac capere, suamque escam facere quærit Serpens omni malitia refertus. At tu, Virgo Deipara, miserere mei; & ab illius insidiis libera me, qui in te spei meæ anchoram conjeci.

Circumderunt me canes multi, quærentes perditionem miseræ animæ meæ: sed tu, ò inculpatissima, libera me, obsecro ab eorum infesto incursu; ad te enim, ò Castissima, immoto, firmoque corde confugi.

ODE IV.

Judicium instat: expergiscere anima mea, profundum negligentiæ somnum repelle, & vigilanter ad Chri-

Christum nunc exclama: per matris tuæ intercessiones miserere mei, qui in profundum malitiæ deveni.

Peccatorum meorum catenas dissolve, & Christi charitatis vinculo liga me, ò Casta, & à sempiternis, atque horribilibus catenis libera me, precor, dum ad tuam bonitatem recurro.

Templum mundissimum Dei, Cęlorum, omniumque creaturarum factoris, agnovimus te, ò Casta: quamobrem ad te clamamus: effice nos templa divini Spiritus, qui intercessione tua ferventi ditati sumus.

ODE V.

Me sub infesti Mundi rectoris manu oppressum, libera ab ejusdem tyrannide, ò Casta; & dignum me fac, ut sub potenti Filii tui manu humilier.

Multiplicata sunt super arenas maris peccata animæ meæ, & non est mihi requies. Tu Domina, quæ mi-

misericordiæ pelagum peperisti, libera me ab opprimente afflictione.

Fluctus multarum mearum perturbationum seda, ò Casta, & passionum mearum tempestatem mitiga; & ad altissimam impassibilitatis tranquillitatem dirige me, qui te legitimè glorifico.

ODE VI.

Respice, ò Casta, super servum tuum, & omnem animæ meæ nebulam dissipa luce tua; & dirige me in lucem præceptorum tuorum, utpotè bona, ò Deo gratissima.

Hostili gladio vulneratam gero miseram animam meam infelix. At tu, quæ peperisti illum, cujus latus vulneratum est, medere dolori meo, obsecro: & mœrorem animæ meæ in gaudium commuta.

Erve me, ò Casta, ex profundissimo desperationis barathro, & ad portum veræ pœnitentiæ dirige me, obsecro, servum tuum: etenim ad te le-

levavi oculos meos, o tota Immaculata.

CATHISMA.

Vita mea mala eſt, actiones meæ pravæ, mens mea perverſa, confuſa cogitationibus; & omnino damnatus factus ſum. Sed tu, ò immaculatiſſima, miſerere mei, & à ſordibus operum munda me, ad te cum fide confugientem: & ſalva me, obſecro.

ODE VII.

Mentem, & animam, & carnis infirmitatem ante oculos tuos pono, clamans: ò Deipara, fortis protectio honorantium te, propitia eſto nobis concinentibus partum tuum: Laudabilis patrum noſtrorum Deus, &c.

Superſubſtantialis Deus, qui ex caſtis ſanguinibus tuis carnem aſſumpſit, Patronam te, ac Præſidem terrigenis conſtituit, ò puriſſima: unde precamur te, ut ab omni neceſ-

cessitate liberes nos canentes: Laudabilis, &c.

Tanquam mundum Dei habitaculum, emunda, ò castissima animam meam, passionum illecebris inquinatam: & fac me dignum, ut corde mundo clamare possim Creatori: Laudabilis, &c.

ODE VIII.

Depascentem sine ullo retinaculo appetitum, atque impetum malorum meorum reprime, ò Virgo: solum enim peccati labe carentem Deum ineffabiliter genuisti, cui clamantes dicimus: Omnia opera Dominum laudate, &c.

Creator omnium, & Deus, humanissimè Salvator meus, per intercessiones illius, quæ peperit te, salva sperantes in te, & canentes: Benedictus, &c.

Comprime nunc mentis meæ perturbatos affectibus motus, & passionum mortiferarum simulacra dele

le usque in finem, ò Casta; ut canere possim: Omnia opera, &c.

ODE IX.

Abyssum misericordiæ habes, Deipara omni laude celebranda; quippe quæ Christum pelagum immensum peperisti: propterea miserere eorum, qui te magnificant, & ab æterna damnatione libera eos.

Quid tibi, ò anima miserabilis, & fœdis actionibus, quibus inutilem reddidi te? Quin præveni, & clama ad Dominum tuum: Ne corripias me, Christe, in ira tua, sed per intercessiones Matris tuæ miserere mei, & salva me.

Distribuis propitiationem, & remissionem adorantibus Natum tuum, ò Immaculatissima. Dignos etiam fac eos, qui te cum fide, & affectu debitè magnificant, ut in die Judicii justorum splendorem consequantur.

FE-

FERIA VI.
ad Vesperas.

STICHERA. ECHUS I.

O Domina omni laude dignissima, spes, & firmamentum fidelium; & refugium, ac virtus eorum; te deprecamur, ut ab omnibus periculis custodias servos tuos fideles, adorantes prolem tuam; rogans Christum, ut mihi remissionem peccatorum largiatur.

Me, qui luxuriosè vixi, & animam, & mentem nefariis meis actibus inquinavi, in tremendo judicio Judicis omnium, libera ab igne, & stridore, & verme sempiterno; deprecans, ò Deipara, amatorem hominum, ut mihi peccatorum remissionem largiatur.

In profundum malorum projectus sum, & peccatorum tempestatibus demergor. Sed tu, ò Castissima, extende mihi dexteram tuam, ut Petro

Dominus omnium extendit, & libera me à profundo deſperationis tu, quæ humanitate, & miſericordia plenum genu iſti, qui omnibus tribuit eſſe.

SABBATHO
ad Veſperas.

CANON.

ECHUS II. ODE I.

TAnquam Dominus bonus, & multa miſericordia ornatus, tu miſerere animæ meæ, quæ ſub innumeris paſſionibus ſervitute premitur: & tanquam viſceribus pietatis plenus, per interceſſiones Matris tuæ ſalva eam.

Tibi, ò Domina, animam meam obtuli: tu me guberna: tu me conſerva: tu me libera ab omni malitia, & ab univerſis hoſtis inſidiis.

Tanquam bona, & boni Verbi Genitrix, cor meum paſſionum malitia graviter affectum, bonum fac

ò Vir-

ò Virgo Deipara, ab omni malitia eripiens illud.

ODE III.

Peccata juventutis meæ, & ignorantias meas, Domine, ne reveles in hora tremendi Judicii.

Gravia mea delicta confiteor tibi, ò Castissima: tu da mihi horum absolutionem, antequam veniat finis.

Tibi procido, & supplico, ò Sanctissima Dei sponsa; assiste nunc mihi in hora ante consumationem.

ODE IV.

Cogitationum, operumque mala numquam intermisi: quæ ego infelix, nequaquam data opera, ac studiosè perpetravi: O Deus misericordiæ, per intercessiones Matris tuæ, ne sinas me gravissimam perditionem subire.

Mentem meam illumina, precor, ò Domina Sanctissima: fluctus seda infelicis cordis mei: carnis meæ concupiscentias compesce, & in portum im-

impaſſibilitatis fac me intrare.

O tota immaculata, habitaculum Dei; domicilium Trinitatis; libera me à gravibus periculis, paſſionibus, & infirmitatibus, ò Caſta, atque à variis delictis, & à damnatione ſempiterna.

ODE V.

Hei mihi anima mea, quare cum principatum acceperis, ſerva efficeris, & carnis paſſionibus ſubjiceris? potius in te ipſam reverſa ante finem Salvatori cum fletibus exclama: Tu Domine amator hominum miſerere mei.

Maternas expandens manus ad intercedendum apud eum, qui natura miſericors eſt, & hominum amator, deprecare eum, ut concedat mihi abſolutionem plurimarum culparum mearum, & dignum faciat me vita ſempiterna, ò ſola omni laude digniſſima.

O Dei Mater, dele miſericordia

tua,& humanitate tibi innata,ōmnia peccata mea multa, quæ ego prava mente, & cogitatione perpetravi, ut te laudem,& glorificem cum lætitia.

ODE VI.

Abyſſus peccati penitus demergit infeliciſſimam animam meam: Domine, Domine, tu mihi ſalutis manum porrige.

Abyſſus miſericordiæ cum ſis, ò Deipara, me in luto paſſionum graviter infixum educens, attolle ad pœnitentiæ ſublimitatem.

Dei genitrix innupta, protectio mea, & gloria mea, tu mihi in hora exitus mei aſſiſte, ſalvans me, & perducens ad manſiones æternas.

CATHISMA.

Divino ingreſſu dignum me fac, ó Veneranda, ſupplicibus precibus tuis moleſtiſſimarum mearum paſſionum vincula diſrumpens; & libera me à flamma ventura.

ODE

ODE VII.

Paſſionum impetus, & peccatorum comprehenſiones: & mentis tumultus nunc animam meam dejiciunt ad barathra deſperationis, Domine, qui ſolus Miſericors es, & ſolus ſalvare potes, tu ipſe miſerere mei, & ſalva me miſerabilem.

Carnis voluptatibus abſtractus, ſemper peccata perpetro, licet illa non agnoſcam; & ad iram provoco Creatorem meum. Tu Virgo domina Mundi, largire precibus tuis animæ meæ infelici pœnitentiæ irradiationem.

In te ſpem meam totam ex animo collocavi, & intentis oculis abs te pendeo, divinam omnino accipiens conſolationem. Præveni, o caſta Deipara, & confer mihi gratiam, oſtendendo ſemitam, qua ad Deum me deducas.

ODE VIII.

Ante mortem, ac ſepulturam, ve-

lut habitans in ſepulcro, cum fide ad te clamo, o Trinitas Sanctiſſima, Creatrix fidelium te deprecantium: concede redemptionem, peccatorum veniam impertiendo.

A camino tentationum, à flamma peccatorum, ab igne paſſionum, & gehennæ, à dæmonum incurſu eripe me, ò Dei Genitrix, patrocinium fidelium in hora mortis.

Patrocinium fidelium, ſpes humilium, pauperum protectio, egenorum, atque in ancipiti poſitorum ſollicita defenſio, concede mihi delictorum remiſſionem, & vitam æternam, ò Domina mundi.

ODE IX.

Amator hominum Domine, qui propter tuas infinitas miſericordias incarnatus es de Virgine, ut homines ſalvares: libera animam meam ab omni dæmonum fraude, & inſidiis; & dele omnia innumerabilia peccata mea.

Miserere domina, & miserare servum tuum, qui peccata multa perpetravit; & terribilium gehennæ tormentorum, & judicii ignis reus est: tu enim ipsam essentialem, ac supersubsistentem misericordiam genuisti.

Gladio intercessionis tuæ, & robore virtutis tuæ interime hostes meos invisibiles, graviter perterrentes me, concedens mihi altissimam pacem, & divinam consolationem, & delictorum veniam humili animæ meæ.

DOMINICA ad Vesperas.

STICHERA.

Divitiæ pauperum, deliciæ, & refugium inopum, & orphanorum spes, tu es Domina, & te glorificamus nos in angustia positi, clamantes, Sancta Sanctorum præveni, & libera nos servos tuos etiam nunc

ab omni violentia dæmonum, & à graviſſimo tormento, & à damnatione ſempiterna.

Intende, ò Deipara, vocibus invocantium te: anticipa interceſſionibus tuis; undique circumdederunt nos oppugnantes nos, & ad cædem traditi ſumus adverſariis noſtris; alium autem non habemus nos Chriſtiani refugium, præter te: propterea feſtina velociter, & inimicorum noſtrorum audaciam dejice potentia tua.

Tanquam ad portum recurrens ſub tuam protectionem, o Dei Genitrix caſta, te precor, miſericordiæ viſcera oſtende mihi: ne projicias me, ſed libera ſervum tuum à paſſionibus mortiferis, & à gravi duritie, & à pravis cogitationibus, ab omni improbitate, & tenebroſitate, & dæmonum malitia, dum te prò dignitate magnifico.

CANON.

ECHUS II. ODE I.

TE mundiſſimum Dei taberna- culum, ſupplex precor, ò Immaculata, ut cor meum propter immundas voluptates in ſpeluncam mutatum, emundes interceſſione tua.

O Puella, tu ſola Deum, qui à nullo capi poteſt, propter ſuam bonitatem comprehenſibilem effectum peperiſti, eumdem deprecare, ut ſalutem concedat iis, qui te collaudant.

O Virgo perpetua, fidelium refugium, & validum auxilium eorum, qui recurrunt ad te: ab omni neceſſitate, & læſione adverſa eripe nos.

ODE III.

Paſſionibus animarum, corporumque noſtrorum medere, ò Puriſſima, & proſperum iter concede

nobis, ut incedamus per ſemitas ducentes ad fruitionem ſempiternam, & ad delicias incorruptibiles, & nunquam interituras.

Glorificat te ſolam Glorioſam genus hominum, ò Benedicta: propterea futuræ gloriæ eorum, qui te cum fide collaudant, hæredem me fac interceſſione tua, o Virgo, Dei gratia pleniſſima.

Tu ſola patrocinium, & adjutrix eſto mihi, ò Dei Genitrix benedicta, & à dæmonum violentia, & à paſſionibus angentibus me, à judicio, atque igne flammante, & à ſupplicio libera me.

ODE IV.

Illuſtra, ò incoinquinata, tenebroſam animam meam luce tua, quæ lucem ſubſiſtentem peperiſti.

O Benedicta tota Caſta, quæ medicum Deum peperiſti, medelam confer precibus tuis doloribus animæ meæ.

O Virgo, quæ divinitatis ignem in utero tuo ſuſcepiſti; ab igne, ac ſupplicio libera me.

ODE V.

Ab illecebra paſſionum, atque earundem deprecatione libera me, Mater Dei, placans Filium tuum, & manu ducens me ad divinum complementum voluntatum ipſius.

Te præſidium, ò Caſta, & firmam ſpei anchoram, & munimen, & tegmen, & murum habemus omnes, & pontem inducentem in regnum.

Fluctus mitiga ærumnoſiſſimæ animæ meæ, ò impolluta; & dolores carnis ſeda tu, quæ ſola ſine dolore Amatorem hominum Deum peperiſti.

ODE VI.

In te ſpem ſalutis meæ repoſui, Mater Virgo perpetua; & te præſidem, ac patronam vitæ meæ firmam, atque immobilem conſtituo.

Varias passiones meas sana, ò sola semper Virgo, Mater innupta: tu enim portus tranquillus effecta es nobis laudantibus te.

Tu, quæ Deum incarnatum peperisti, insurgentes carnis meæ motus mortifica; & fac me, ò Virgo, immortalis Regni participem.

CATHISMA. ECHUS II.

Inquinatam animam meam, & cor meum graviter pollutum infestis passionibus, turpibus operibus, malorum dæmonum studiis, emunda, ò Casta Deipara, animæ meæ consolatio, ante quam finis adveniat; & salva servum tuum; & ab igne, & supplicio libera eum.

ODE VII.

In te omnem spem meam ex animo collocavi, & attentis oculis ad te aspicio, divinam omnino accipiens consolationem. Præveni, ò Casta Deipara, & gratiam mihi tribue,

bue, ſemitam oſtendendo, qua me ad Deum deducas.

Ab hominibus noxiis, à dæmonibus malignis, & ab omni alia infeſtatione, & caſu, & irrationabili eventu libera me, ò Virgo Sanctiſſima: & conſerva eos, qui canunt: Benedictus, &c.

O unica ſpes, & auxilium fidelium, Dei Genitrix, feſtina, & auxiliare ſupplicibus tuis, qui demerguntur in profundum peccatorum, & dæmonum fraudibus, & tempeſtatibus tribulationum; dum confugiunt ad te cum animi confidentia.

ODE VIII.

Cum ſis fons vivus; quippe quæ aquam vitæ peperiſti: irriga, ò Deipara Virgo, animam meam, peccatorum incendio liquefactam: & ab æterna flamma eripe me.

Hoſtis jaculis confoſſus, animam undequaque vulneratam habeo, &

insanabiles plagas patior. Tu, ò tota irreprehensibilis, quæ Salvatorem Christum ineffabiliter peperisti: tu, inquam, ò spes mea stabilis, ac firma, medere, & salva me.

Tentationum impetus, passionum invasiones, dæmonum violentias ex misero corde meo extermina, precor, ò Virgo, & ab æterna flamma libera me.

ODE IX.

Sancta, tota immaculata, sanctifica servos tuos: tu, quæ Verbum Sanctissimum secundum carnem genuisti, libera nos à laqueis maligni. Salva nos omnes, qui te Dei Matrem ortodoxè beatificamus.

Bonorum amatrix domina, bonam jam effice animam meam, multorum peccatorum malitia vitiatam: Salva me, ò Casta Deipara, in pelago vitæ semper multipliciter fluctuantem, plurimisque tempestatibus jactatum.

Lu-

Luce tua illuſtra me, in tenebris gravis ſocordiæ jacentem, ò Deo gratiſſima; quippe qui legum Dei cuſtodiam cæteris rebus non antepono, ut te tanquam meam patronam, prout debeo, beatificem.

FERIA II.
ad Veſperas.

STICHERA. ECHUS II.

SOla incomprenſibilem Deum indefinitè in utero tuo conceptum geſtaſti, hominem factum propter ſuam bonitatem, ò Sanctiſſima Dei Sponſa. Propterea libera me, te obſecro, a malis anguſtantibus me: ut per anguſtam ſemitam recto itinere incedens, ad futuræ beatitudinis latitudinem perveniam.

Tribulationes, & moleſtarum rerum violentiæ, variæque paſſiones tempeſtatibus agitant miſeram animam meam. O puella innupta, Mater Chriſti, & Dei, oſtende te

gubernatricem mihi in hoc mari vitæ meæ; & incumbentium fluctuum procellas mitiga, ad tranquillum pœnitentiæ, & refrigerii portum deducens me recurrentem ad divinam protectionem tuam.

Salvum fac, ò bona Deipara, me sub divinam protectionem tuam confugientem: multitudines enim tribulationum, & tentationum, passionum, & periculorum, ac duritiei tenebræ profundissimæ circumdederunt miseram animam meam: Festina antequam perveniat finis, à dæmonum tyrannide, atque ab æterna damnatione libera me:

CANON. ODE I.

Dum te piè ac propriè Deiparam Castam confiteor; ò corpore, atque animo immaculata: ex gravibus periculis, morbis, ac lapsibus nunc salva me.

Totam gratiarum abyssum in te residentem agnovimus: propterea

ad

ad tuam divinam protectionem alacriter, ò Deipara, recurrimus, & salutem consequimur.

Te: ò Deo gratissima, gloriam nostram, & refugium; firmamentum, & exultationem animarum; salutem, spem, & murum omnes fideles possidemus.

ODE III.

Deum, quem peperisti, redde propitium per tuas intercessiones, ò Casta, supplicibus tuis recurrentibus ad tuam protectionem, tuumque partum fideliter adorantibus.

Exaudi, Virgo, verba orationis meæ ex profundo cordis mei, quam tibi offero, ò summis laudibus celebranda: & à passionibus, & periculis salva me.

Tamquam ea, quæ Dei Sapientiam subsistentem, Deum Verbum in ulnis gestasti, deprecare, ut nos ab ignorantia, & errore liberemur.

O.

ODE IV.

Concede mihi Domina, quæ Deum peperiſti, vulnerum animæ, morborumque carnis ſanitatem.

Corrobora me, Virgo, ſpe tua, paſſionum, & cogitationum ventis, vitæque tempeſtatibus exagitatum,

Mortalis vitæ fluctibus jactatum eripe me, Virgo; atque in portum tuum deduc me.

ODE V.

Armaturam inexpugnabilem adverſus varias hoſtium tentationes habentes, manifeſtè ab omni violentia eorum liberamur nos, qui te, ò pura, Deiparam agnoſcimus.

Legis complementum, ò Cherubim ſublimior, peperiſti Unigenitum Dei filium, ex te incarnatum, quem pro tuis ſervis ſupplex deprecare.

Ego miſer ex anguſtia, ac dolore animæ meæ preces offero tibi. Tu, quæ

quæ ſola Verbum miſerationum au-
ctorem peperiſti, miſerta mei ſal-
vum me fac.

ODE VI.

Salutis portum agnoſcens te in hujus vitæ plenæ ſolicitudinibus mari, invoco te, ò Domina. Tu eſto gubernatrix animæ meæ.

Stola continentiæ meæ, exutus ſum, ac malè vexatus, ò Mater ſemper Virgo. At tu, quæ Deum genuiſti, lætitiæ tunicam redde mihi.

A ſacra inſtitutione, ac diſciplina excidi pigritia victus, infelix. Sed tu, ò Benedicta, tota caſta, ac pura; præceptis Filii tui coordina me.

CATHISMA: ECHUS II.

Lacrymarum fontem concede mihi, ò Innocentiſſima, per quas eluam multitudinem peccatorum meorum: in te enim, ò Dei Sponſa, univerſam ſpem meam collocavi. Feſtina igitur, ò veneranda, antequam pe-

pereant; atque ex dæmonum manu libera me.

ODE VII.

Cruci affixus ille, qui ex te, ò Dei Genitrix, corpus assumpsit, Adæ chirographum disrupit. Eundem deprecare nunc, ò Virgo, ut ab omni violentia liberet eos, qui cum fide clamant: Benedictus es, &c.

Spes, & salus es animarum, ò benignissima Domina: & nunc precamur te, ut compassionis pelagum largiaris omnibus in te confidentibus, & ad filium tuum clamantibus: Benedictus es, &c.

Ab immortali vita cum olim excidisset Adam; salvatus est per partum tuum. Nunc autem morbo oppressum sana, & corrobora, ò Castissima puella, & dignum fac ut canat tibi: Benedictus, &c.

ODE VIII.

Imbecilla nunc est mea mens, in

profundum ignominiæ delapſa; ita-ut multiplicibus inde malis circumdetur. At tu, ò Virgo, medere illi, impaſſibilitatis luce circumdans eam.

Firmam fortitudinis turrim, & baſim; præſidium, & tutelam habentes te, nos ſalutem conſequimur, cum fide partum tuum laudantes, ò Immaculatiſſima, & ſuperexaltantes in omnia ſæcula.

Fluentum medicaminum perenne emanas nobis fidelibus, ò Caſta, cujus copioſiſſimam gratiam haurientes, laudamus partum tuum, ò Inviolata, & ſuperexaltamus in omnia ſæcula.

ODE IX.

Divina felicitate plena puella; univerſam ſpem meam in te læto promptuque animo repono. Salva me, Mater veræ vitæ: & deprecare, ò Caſta, ut per interceſſionem tuam liber evadam ab igne perenni,

ut

ut te ſine ceſſatione ſemper magnificem.

In utero tuo habitans ille, quem ante ſæcula Pater ex utero genuit Filium, perfectus homo factus eſt; & te, ò Dei Mater, gratiarum fontem fecit nobis, qui cum fide partum tuum ineffabilem adoramus,

Oſtende te mihi, ò Virgo, & animæ meæ tenebroſam noctem immaterialibus lucis tuæ fulgoribus illuſtra: Porta enim es divinæ lucis: & effice, ò Caſta, precibus, & interceſſione tua, ut ſempiternis replear deliciis, quo te jugiter ſine intermiſſione magnificem.

FERIA III.
ad Veſperas.

STICHERA. ECHUS II.

ANnue, ò Caſtiſſima, ſupplicationibus famulorum tuorum, & concede nobis fontes lacrymarum, ut delictorum noſtrorum

ma-

maculas abluamus, ò Immaculatiſſima; & ignis acerbiſſimi, atque æterni flammas extinguamus: tu enim adimples eorum preces, qui te Domini Matrem invocant ex toto corde.

Adverſarum cogitationum tempeſtate, vitæque procellis exagitatus, ac ventis inordinatis infeſti Mundi rectoris undequaque jactatus, clamo ad te, ò Virgo, feſtina ad me eripiendum à malis prementibus me; ut grato corde prædicem, ò Deo gratiſſima, omnibus fidelibus magnalia tua.

Vide nunc infirmitatem meam, & ærumnoſæ animæ meæ miſeriam, & cordis mei afflictionem, ò Caſtiſſima Domina: & hoſtium inviſibilium conſilia diſſipa, qui me adoriuntur, & graviter oppugnant. Tu enim, quæ Deum peperiſti, eos, qui in periculis verſantur, potes liberare.

CANON.

ECHUS II. ODE I.

Tanquam ſpecioſam, tanquam totam formoſam, tanquam immaculatam inter mulieres Deus eligens te, in utero tuo puriſſimo habitavit. Eundem deprecare nunc, ò immaculatiſſima, ut à peccatorum maculis liberet omnes collaudantes te.

Quemdmodum in pſalmo ſcriptum eſt: Stetiſti, Caſtiſſima, ſuprema Regina à dextris Regis, qui ex utero tuo natus eſt. Ipſum deprecare, ò mundiſſima, ut in die retributionis ad dexteram ſuam adſtare me faciat.

Deſolatam ſceleribus omnibus hominum naturam, tu cæleſtem imbrem enixa, totam reſtauraſti. Sed precor te, ò Dei Sponſa, ut animæ meæ aruum deſolatum, ac vaſtatum, fructiferum reddas.

ODE III.

Creator, qui me hominem gestavit, ex utero tuo, ò Innocentissima, prodivit immortalitatis stolam donans iis, qui propter multa scelera nudi facti sunt,

Deum Verbum summo honore præditum genuisti, Domina. Eumdem impense deprecare, ut miseræ animæ meæ, quæ voluptatum ignominiis affecta, tristis incedit, misereatur.

Vulneribus animæ meæ medere, ò Castissima: & miserum cor meum serpentis veneno infectum, efficacissima medicina tua saluti restitue.

ODE IV.

Stillas compunctionis infunde mihi, Domina; universas cordis plagas sanans; & socordiæ meæ turbidas alluviones coercens.

Voluptatum me gladio sauciatum, & jacentem vulneribus con-

fos-

fossum, ne despicias; ò Immaculata: sed lancea, & sanguine Crucifixi Filii tui,ac Dei nostri, sana me.

Ditata dominio omnium rerum creatarum, inopem mentem meam divina gratia dignam fac, ut magnificem te tamquam bonam Patronam meam, ò tota inculpabilis.

ODE V.

O Inviolata, quæ viam vitæ peperisti, dirige nunc me in viam rectam, itaut ad superna contendere possim, licet in profundis gravium peccatorum, irrationabiliter præcipitatus.

Cum me ipsum peregrinum mente, atque extraneum effecerim, utpotè stultus; luxuriose vixi, in regionem longinquam mearum passionum seductus. Sed tu, ò Virgo Casta, converte, & sana me intercessionibus tuis.

Rivis tuis, ex quibus aquæ vitæ dimanant, irriga servum tuum,

qui

qui peccatorum incendio comburitur, & dæmonum invasionibus obtenebratur, ò Virgo Mater inviolata.

ODE VI.

Ne sinas me esse dæmonum irrisionem, & gaudium in judicio futuro, ò Domina: sed precibus impetra mihi benignum Judicis, ac filii tui aspectum.

Cogitationibus, atque actionibus meis malis, atque illicitis, ad iracundiam provoco te, Domine. Verum ut propitieris mihi, offero tibi Matrem tuam: miserere igitur mei, & parce mihi.

Libera me Domina à damnatione, qui ex me ipso damnatus sum propter peccata mea: quippe tu Judicem peperisti vitæ, mortisque Dominatorem.

CATHISMA.

Tanquam Dominus, cujus proprium est semper omnes salvare, ne clau-

claudas, & mihi januam misericordiæ tuæ: sed tanquam Deus, ignosce gravibus, atque immodicis lapsibus meis per intercessionem Genitricis tuæ, & concede, ut intuear te Judicem compassione plenum.

ODE VII.

Fortitudo mea, laus, & salus; firma defensio, & murus inexpugnabilis cum sis, Domina; oppugna impugnantes me dæmones, qui semper quærunt morti tradere me.

Cum Deum corpore indueris ex virginalibus sanguinibus tuis; deificasti, ò Virgo, humanam naturam. Propterea me passionibus inquinatum, & corruptum, ab hostium insidiis libera intercessionibus tuis.

Fornax illa (Babylonica) conceptionem tuam præfigurabat, ò immaculatissima. Illa enim pueros non combussit, quemadmodum neque combussit uterum tuum ignis intole-

lerabilis. Unde te deprecor, ut ab igne æterno liberes servos tuos.

ODE VIII.

O anima mea æmulare bona, longè recedens à malis per exercitium divinorum actuum, habens Dei Matrem pro te intercedentem, quæ est omnium præsidium, ac patrocinium, quod confundi non potest, quippe ipsa bona est, atque hominum amatrix.

A vinculis antiquæ damnationis humanum genus dissolvisti, Dei Genitrix. Unde te supplex oro, ut omnia vincula malitiæ cordis mei dissolvas, ò Immaculata, colligans me divino amore Creatoris.

Cum splendorem paternæ gloriæ, ò Deipara, pepereris, cor meum ob ignominiam peccatorum dejecto vultu, ac tristi incedens, luce tua exhilara, & fac me æternæ gloriæ participem, ut cum fide glorificem te.

ODE IX.

Cum gustasset Adam cibum non convenientem, mortem ex ligno acerbè vindemiavit. At vero Filius tuus ligno affixus, dulcedinem immortalitatis emanavit: propterea te, ò Immaculata, veneramur.

Regina facta es, ò Puella, Regem Dominum ineffabili ratione enixa; qui inferorum regna dissolvit. Eumdem impensè deprecare, ut superni Regni dignos faciat collaudantes te.

Bonum effice, Domina, miserum cor meum, voluptatum inclinationibus malè affectum; quippe quæ Bonum peperisti, & tota bona es; & ad bonas pœnitentiæ portas inducis me.

FERIA IV.
ad Vesperas.

STICHERA. ECHUS II.

TEntationum multitudine oppressus, & truculentorum dæ-

mo-

monum insultibus nunc circundatus, & auxilii, consiliique inops, ferventem defensionem tuam, ò domina Immaculatissima, ex toto corde implorans exclamo: Libera me, ò Deipara, ab hac molestissima necessitate, ut laudare possim bonitatem tuam.

Flecto nunc coram te, ò domina Virgo, ut servum decet, genua mea, & cum gemitu exclamo: Vide, ò Innocentissima, afflictionem meam, & antiquorum delictorum meorum veniam concede; vitæque emendationem, ac bonas cogitationes tribue mihi: in te enim omnem animæ meæ spem prorsus repono una cum præsenti carnis meę infirmitate.

Siste mentis meæ evagationes, ac sensuum errorem; & imagines prorsus dele mortiferarum passionum; atque animæ meæ tumultum compesce, ò puella, ut magnificare possim bonitatem tuam. Te enim, ò Virgo, totius vitæ meæ præsidium,

atque infirmitatis meæ auxilium possideo.

CANON.

ECHUS II. ODE I.

O Puella, quæ impassibilitatis fontem peperisti, medere mihi passionum vulneribus confosso, & ab igne perenni libera me, ò sola Deo carissima.

A corporalibus morbis libera me, & occultis animæ meæ vulneribus medere; atque ab igne perrenni libera me, ò sola Deo carissima.

Ad tuam nunc confugio benignitatem, virgo Mater immaculata: ab animæ morbis; à mortiferis passionibus, atque ab igne æterno libera servum tuum.

ODE III.

Regem sempiternum peperisti, qui ex te, Virgo Mater, carnem accepit: ipsum igitur tanquam humanis-

nissimum exora, ut ab omni tribulatione, & à futuro judicio, ac supplicio liberet servum tuum.

O Dei Mater medere animæ meæ, ob dæmonum vexationes, propriamque desidiam ægrotanti; & pœnitentiæ lacrymas tribue cordi meo; & domini mei timorem insere in illo, ò Castissima.

Ignavè vitam meam transegi, & cor meum passionibus inquinavi. Ideo accedo ad te, Domina, cum compunctione animæ, & corporis: miserere mei, & salva me, per pœnitentiam in meliorem statum commutando.

ODE IV.

Laudo te, ò verè omni laude dignissima, quæ Verbum Deum omni laude superiore supernaturaliter peperisti: & precor te, medere miseræ animæ meæ morbis; & à gravissima damnatione libera me.

Opulentas misericordias tuas ef-

funde super nos, ò Virgo, juxta consuetudinem tuam, morbos curans, & passiones animæ varias depellens: propterea cordis mei catenas, peccata scilicet, atque ægritudines illius dissolve.

Mentem meam, te precor, ò Domina Sanctissima, illumina; fluctus tranquilla infelicis cordis mei, carnis appetitus extermina, ac per divinam semitam fac eam incedere.

ODE V.

Seductoris insidiis, ac dolis ad mortem adactus sum, ò Domina omni culpa carens. Vivifica me tu, quæ vitam omnium subsistentem peperisti; ut te, ò Deipara, religiosè laudem omni laude dignissimam.

Tu Virgo, Mater agni, & pastoris, pasce, ac rege me mente seductum, atque aberrantem: & in die judicii cum ovibus ad dexteram annumerari dignum me fac, ut gratiam

tiam tuam ſalutiferam poſſim laudibus celebrare.

Sponſa Dei, quam unum divinum Verbum, quod illuminat omnem orbem, inhabitavit: affulge mihi cum radio veræ pœnitentiæ: illuſtra me ſalutiferis ſplendoribus, ò puriſſima; paſſionum mearum tenebras diſſolvens.

O D E VI.

Nunc ad te confugio, ò laudabiliſſima: ſalvum me fac interceſſionibus tuis, & cuſtodi me: quæcunque enim volueris, potes, utpotè Mater illius, qui omnia poteſt.

Tribulationum procella jactatum, ac fluctuum inſurgentium tempeſtatibus exagitatum ſervum tuum, ſalvum fac, ò Deipara Virgo.

O tota pura, quæ immaculatum Agnum tollentem peccatum Mundi concepiſti; ne ceſſes intercedere pro me, ut mihi peccatorum indulgentia concedatur.

CATHISMA: ECHUS II.

O ſola Mater Virgo, & Immaculata, quæ in neceſſitatibus gubernatrix es ad animarum ſalutem, & in periculis Patrona, quæ non confunditur: annue orationi noſtræ, dum gementes ad te clamamus, & diſſipa triſtitiam animæ meæ.

ODE VII.

O caſta, quæ vitam ſubſiſtentem nobis peperiſti, quæ morte mortem manifeſtè abolevit: mortifica paſſiones cordis mei, & flumen, ac pluviam lacrymarum concede mihi, ut poſſim te glorificare.

O ſpes, quæ non confunditur, ſpes firma, ac murus inconcuſſus, & protectio, & auxilium eſto mihi, ò innocentiſſima, confidenti in te; & ad pœnitentiæ, & compunctionis lucem deduc me, ò Caſta.

Deprecare, ò puriſſima, Filium tuum, ut liberet ſervum tuum ab om-

omni malitia dæmonum, & tribulationibus, & duritia cordis, atque à damnatione, igneque perenni; ut semper te cum fide glorificem.

ODE VIII.

Refugium Christianorum, adjutrix eorum, qui rebus infestis vexantur, Sanctissima Virgo: ne despicias nos periculis assiduè circumdatos, multisque invasionibus malignorum spirituum.

Ne obliviscaris vocis famulorum tuorum, ò patrocinium formidabile: sed ab omni dolore, & ab omni comminatione eripe eos supplicationibus tuis: tua enim materna intercessio Deum ad misericordiam flectit.

A fornace tentationum, à flamma peccatorum, ab igne passionum, & gehennæ, & à dæmonum incursu, in hora mortis eripe me, ò Dei Genitrix, unicum præsidium fidelium.

ODE IX.

Hominum amatorem Dominum, & ſolum multa præditum miſericordia, ſupra rationis, ſermoniſque modum enixa: eundem, ò Virgo, precare in tremenda judicii hora, ut à ſupplicio, & igne æterno liberet me.

Dum te hymnis celebramus, & cum affectu glorificamus, ſemperque ad divinam protectionem tuam accurrimus, concede nobis è Cælo rerum adverſarum depulſionem, & à paſſionibus nos tyrannicè prementibus, atque à ſupplicio erue nos, ò Sponſa Dei.

Bonum effice, Domina, miſerum cor meum, voluptatum inclinationibus malè affectum: quippe quæ Bonum peperiſti, & tota bona es, & ad bonas pœnitentiæ portas me inducis.

FERIA V.
ad Vesperas.

STICHERA. ECHUS II.

QUid offeram tibi ego miser, ò Domina mundi, nisi lacrymarum fontes, & confessionem eorum, quæ à me perpetrata sunt? At tu propitio oculo tuo respice, ò puella, ad infirmitatem humilis animæ meæ: dissolve passionum mearum nubes; & ab angustante necessitate libera, precor, servum tuum.

Horam mortis, & dæmonum accusationes, & disquisitionem delictorum meorum reformidans, ingemisco infelix, & clamo ad te, ò purissima: libera ab illa angustia servum tuum confidentem in te: te enim filius, ac Deus tuus, Mundi patronam, & eorum, qui in necessitatibus versantur, liberatricem constituit.

Quando, jubente Deo, infelix

anima mea à corporis natura ſeparanda erit, tunc adjuva me, ò Caſtiſſima, & à dæmonum manibus eripe me, comiteſque mihi largire Angelos, ut liberè, atque expeditè aëreorum ſpirituum multitudines, eorumque ferociam pertranſeam.

CANON.

ECHUS II. ODE I.

LUx & vita; dux, & firmamentum; & ſalus mea eſto, ò Dei genitrix Virgo: & à graviſſima damnatione eripe me interceſſione tua.

Cum ſis, ò Dei Genitrix, fidelium gloria: fac eum, qui glorificat te, futuræ lætitiæ, & æternæ gloriæ participem patrociniis tuis.

Procella immundorum ſpirituum in profundum deſperationis nunc dejecit me: ſed tu, ò Deipara, eripe me, & ſalva me interceſſionibus tuis.

ODE III.

Vulnera animæ meæ cura: men-

tem meam negligentiæ tenebris offusam irradia, ò Dei ſponſa: ut cantare poſſim: Non eſt Sanctus, &c.

Cum hominibus converſatus eſt Dominus, qui ex te carnem ineffabiliter aſſumptam geſtavit. Ipſum igitur exora Dei Genitrix, ut mihi ſerpentis ictibus afflicto, & corrupto miſereatur.

Animæ meæ noctem illumina, Dei Genitrix, luce tua inacceſſibili: & da mihi virtutem, ò puella, ad Filii tui præcepta exequenda: ut glorificem te, auxilium, & ſolatium meum.

ODE IV.

Dum in hora mortis terribili judicabor, libera me, & à gehenna eripe me: ut beatificem te, ò Puriſſima, ac debito honore te venerer.

Omni laude digniſſima; promptum, & paratum hominum auxilium: feroces tentationum tempeſtates tranquilla, & ad cæleſtem ſtatio-

tionem deduc animam meam.

Dirige, ò Deipara, vitam meam, ordinando illam divinis mandatis Verbi ex te incarnati: & ad lucem deduc illam, ò Maria, Virgo Mater, Dei ſponſa.

ODE V.

Semper deprecare, ò Virgo Mater, illum, qui pro nobis ex te incarnatus eſt: ut ii, qui te religioſè, & piè beatam dicunt, à periculis, paſſionibus mortiferis, tribulationibus, & æterna flamma, ſupplicioque liberentur.

Annue, ò Caſtiſſima, Virgo benedicta; ut tenebroſa anima mea ſplendoribus tuis illuminetur, & mentis meæ tempeſtatem compeſce, & cordis duritiem evelle, & à maligni ſcandalis libera me.

Tanquam bona, & Verbum totum bonum enixa, bonam redde, Domina, animam meam, plurimis peccatis, & oppugnantis me hoſtis ma-

malitia male affectam, Dei bonitatem mihi concedendo.

ODE VI.

Tu quæ lucem inocciduam, Dominum, peperisti: à nocte peccati, & tenebris passionum libera ærumnosam animam meam, & ad lucem pœnitentiæ custodi eam.

Ab immodica cordis duritie libera me, ò Domina Dei genitrix, qui plurimis peccatis detineor, & à dæmonum igne eripe me.

O Sanctissima Virgo, Dei Sponsa, quæ post Deum es tutela servorum tuorum: in hora supernæ inquisitionis esto tutela animæ meæ.

CATHISMA. ECHUS II.

Misericordiæ tuæ stillis, ò tota pura, & casta, summèque veneranda, irrora miserabilem animam meam, peccatorum incendio liquefactam: à sordibus eam emunda: eripe ab horribili damnatione: & libera ab igne perenni.

ODE VII.

Dissolve peccatorum meörum vincula, ò Casta, intercessione tua; & boni filii tui caritate perfectè institue me, qui in dies ab eo longinquior fio per turpes voluptates.

Respice in me, ò Castissima, qui in tenebris jaceo passionum: & voluptatum nigredine obduratam animam circumfero: & omnium malorum depulsionem, & lacrymarum flumina concede mihi.

Cum tempus dissolutionis miseræ animæ meæ institerit, precor te, ò puella Virgo, ut à dæmonum manibus eripias eam, & salvatam; Deo repræsentes; ut possim te beatificare.

ODE VIII.

Ab inhærentibus mihi passionum sordibus emunda me, ò pura, intercessione tua; & illustra, obsecro, cor meum dæmonum nigredine obte-

tenebrarum, ut beatificem te, ò divina felicitate beatissima Domina.

Cum Deum Altissimum in carne pepereris, eleva me à stercore passionum, quæ me vexant: & gravi prorsus inopia laborantem dita, ò Castissima divinis virtutibus; ut laudare possim te, salutem consecutus.

Tamquam ea, quæ divinum imbrem excepisti, delictorum meorum flumina exsicca intercessionibus tuis, & tentationum pluvias imminue; & salva me, obsecro, Deipara, confugientem ad te.

ODE IX.

Tamquam Dei Matrem oro te, ò Cherubim sublimior, Immaculatissima Virgo; medere calamitosi cordis mei passionibus, quibus cura difficillima est: & ab igne, omnique tormento, atque à dæmonum vexatione libera me.

Stultè peccans, incorrectus persevero, obduratus ex multa hebetu-

di-

dine, atque insensibilitate: unde altè clamo: ò Domina, visita nunc me in hac necessitate positum; & medicinam adhibe passionibus miseri cordis mei.

Terribilis illius diei damnatio stupore, ac metu percellit me; quæ cogitationum mearum actus & multos, & illicitos, disquisitura est; sed tu, ò Christi Redemptoris Mater, antequam finis præveniat, indulgentiam mihi concede.

FERIA VI.
ad Vesperas.

STICHERA. ECHUS II.

VEni in profundum malorum; & passionum procellis demersus, & vitæ fluctibus circumfusus, succumbo defessus, & ad te exclamo: defecerunt penitus oculi mei, dum spero in te, ò purissima Domina. Nunc igitur ascendat à corruptione, & à profundo desperationis anima mea.

Ex-

Exhorresco, ò Pura, judicium illud, atque ignis æterni tormentum, & irrevocabilem prorsus miseriam stridoris dentium, vermisque nunquam quiescentis ferocitatem. Quamobrem, ò Innocentissima Virgo cum dolore cordis te supplex rogo, ab horribili damnatione libera me.

Quando anima mea à corporis vinculis indubitanter separanda erit tunc assiste mihi, & incorporeorum hostium consilia dissipa: & contere molas eorum, qui quærunt me crudeliter devorare, ò Dei sponsa, ut tenebrarum principem in aere consistentem, liberè atque expeditè pertranseam.

SABBATHO
ad Vesperas.

CANON. ECHUS III.

ODE I.

PRopitiationem concede mihi delictorum meorum precibus

tuis divinis, ò Virgo: potentem quippe intercessionem habes, ò Domina; & eos, qui te honorant, à lapsibus, & passionibus, & tribulationibus, aliisque adversitatibus liberas.

Irriguis intercessionum tuarum, dum anima mea peccatis, & passionibus immoderatis liquescit; exora ad impetrandam illi misericordiam: ut divinum refrigerium consecuta, te, ò Virgo, tanquam meam patronam, ac præsidem laudibus magnificem.

Me totum in peccatorum fundo demersum, totumque desperatum, tu, ò casta Domina, misericordiæ tuæ manum extendens, ad pœnitentiæ altitudinem trahe, lacrymarum fontem concedens mihi.

ODE III.

Compassionis tuæ viscera, te precor, aperi mihi, ò Deipara omni laude dignissima: & ostende te mihi

in tentationibus ferventem, ac solicitam auxiliatricem, & tutelam.

Libera me servum tuum ab omni infesta peccatorum procella, quæ me in angustias redigit, & ad salutis portum dirige me, ò pura, precibus tuis.

Serva me, ò Virgo Mater castissima, à passionum turbido tumultu, quæ incursant modo in miseram animam meam, & divexant.

ODE IV.

Figuras, ac cicatrices peccatorum meorum dele, ò benignissima, aqua, & spongia utens, potenti scilicet intercessione tua, & confidenti libertate tua apud Creatorem; ac purum redde me.

Augusta Domina, validum Mundi auxilium, ne projicias me à te; neque amandes me à facie tua pudore suffusum; neque sinas me esse dæmonum gaudium, atque irrisionem.

Totus denudatus divinis operi-

bus,

bus, infelix; & acutiſſimis voluptatum jaculis percuſſus, ſaucius factus ſum: propterea clamo ad te: ſalvum me fac, ò tota pura, & immaculata.

ODE V.

Vitis Divina, quæ floreſcens, botrum ſpecioſum protuliſti, tribuentem omnibus divinum animæ fervorem: libera, ò Virgo, animam meam ab acerbo caſu meo, & à paſſionum ebrietate, atque ab igne perenni.

Ex luto peccatorum, ò Immaculata Dei ſponſa, evelle me in fæcem voluptatum prolapſum; & fluentis interceſſionum venerandarum, precumque tuarum ablutum, ſtola ſalutis fulgenti indue me.

Quæ Mundo pacem, & ſalutem omnibus largiris, utpotè divinam pacem enixa: hoſtium animæ, corporiſque mei ſeditiones, ac bella pacifica, ò Caſtiſſima, per timorem,

rem, & amorem Christi Salvatoris.

ODE VI.

Redemptionem criminum concede servo tuo (quippe benigna es) ò purissima, dum tuam defensionem cum fide deposcit: & à futura damnatione eripe me.

O Domina, ac Mater Redemptoris, tu in hora exitus mei assiste mihi, dum ratio à me reposcetur factorum meorum, quæ stulta mente perpetravi.

Miser totus factus sum ego, perpetuis lasciviis fædatus, & jam prospicio mortem pedibus meis appropinquantem. O Deipara adjuva me.

CATHISMA. ECHUS III.

Misericordem Deum enixa; eorum, qui sub protectionem tuam confugiunt, & ex corde divinum tuum implorant auxilium, miserere, ó Domina, & misericordia

di-

dignos nos fac, quando constituemur ante Dominum creaturarum omnium: & ab igne æterno, atque ab omni damnatione libera nos, ò Purissima.

ODE VII.

Te Matrem Dei, & puram, & immaculatam; ego pollutus corpore, & anima, ac fædis actibus inquinatus, supplex deprecor confidens in misericordia tua. Tu, Domina, miserere mei.

Culparum mearum multitudo, & malorum cumulus, ut vehementer diffidam persuadet mihi, & in profundum desperationis impellit me. O Sanctissima Domina salva me pereuntem, graviterque periclitantem.

Miserere, ò benigna, animæ meæ, ob pravas actiones in vilissimum statum redactæ; & in pœnitentiæ viam deduc illam; & dirige eam ad faciendam Filii tui voluntatem; & à supplicio libera eam.

O.

ODE VIII.

Voluptatum venenum ſenſus omnes corporeos pertranſiens, animam meam ſupra modum divexat, & ad interitum trahit. O Domina Mundi, ſalus eſto mihi.

Mentem, & animam, & cor, & corpus tibi offero: Non enim habeo aliam ſpem præter te, Domina, per quam miſericordiam conſequi poſſim, propterea divitem gratiam tuam concede mihi.

Serpens mihi irrepens cum veneno carnalium delectationum, infelicem animam meam crudeli morte peremit. Sed tu, ò Caſta, antidotis interceſſionis tuæ vivifica illam.

ODE IX.

Aperi mihi divinæ pœnitentiæ aditus, ò Virgo; paſſionum, ac voluptatum mearum ingreſſus occludens, ac prohibens virtute tua.

Audi vocem ſuſpirii mei, & cla-

morem gemitus mei: & tribue propitiationem, & ſalutem infelici animæ meæ, ò Immaculatiſſima Virgo.

Omnino deſperatus ſum (heu miſer!) & totus diffidentia detineor, recogitans prava opera mea. O Domina, miſerere mei gratis, & ſalva me.

DOMINICA
ad Veſperas.

STICHERA. ECHUS III.

SAlve fons, ex quo emanavit in mundum aqua immortalitatis, quæ occidiſti infeſtum ſerpentem per mortem filii tui immortalis; quem inceſſanter deprecare, Virgo benigna, ut animam meam ob peccatum mortuam ad vitam reſtituat; & interimat paſſiones, quæ occidunt me; & immortali vita dignum me faciat, ò Puriſſima.

Noctu pugnans cum tenebris peccatorum, ad te confugi, ò Puriſ-

ſima

ſima Dei Genitrix Virgo: tu enim lucem ex impolluto utero tuo univerſis oriri feciſti, Chriſtum videlicet: & peccatorum, paſſionumque tenebras expellis; delictorum propitiationem demittens, & morbos curans confugientium ad te; propterea benedicimus, ò Domina, cum fide potentiam tuam.

O Templum Dei: ò Divinum habitaculum Sanctiſſimæ Trinitatis: ò Deo cariſſima puella: ò flumen totius bonitatis ex Paradiſo procedens: ineffabilium gratiarum tuarum copioſiſſima dona omnibus ſervis tuis ſemper concede; ut omnes cum fide tibi gratias agamus, ò Deipara, tanquam patrocinio, ac præſidio omniū noſtrum, qui te aſſiduè celebramus.

CANON.

ECHUS III. ODE I.

Te Montem umbroſum, quem Abacuc Propheta prævidit, depre-

cor, ò Immaculata, ut obumbres mihi passionum æstu jactato, & in umbra mortis à malis me perturbantibus liberes me.

Aspersione divini sanguinis ex divino filii tui latere effusi, ablue, ò Casta, cordis mei vulnera: ut magnificem te, & debita ratione glorificem te, beatissimam semper, atque Immaculatissimam.

Illum, qui in operibus æqualis est genitori, & humanam deificavit substantiam, illum, inquam, deprecare, ò pura, ut me desperatum, & hostium assultibus, insidiisque ad languorem redactum divinitus revocare dignetur.

ODE III.

O Virgo castissima, quæ omnium Creatoris domus existis, precare, ut habitet Paraclitus in me, qui perimentium animas latronum spelunca factus sum.

Illum, qui ineffabili misericordia,

dia, & miserationibus dives est, tu, ò Sanctissima, quæ misericors es, deprecare, ut nostri, qui malis vexati sumus, misereatur.

Tanquam ea, quæ ulnis portasti portantem omnia nutu divino; annue, atque inclina te mihi, ò Deipara, & à turpi inclinatione ad passiones, libera me.

ODE IV.

Quandoquidem vulnera, & cædem voluntariè sustinuisti, medere, ò Christe, per intercessionem illius, quæ te peperit, animæ meæ, latronum dæmonum vexationibus vulneratæ: tu enim solus multa præditus es misericordia.

Opus, & factura manuum tuarum sum, ò Creator Christe; verum ob serpentis malitiam à vitæ voluptatibus contritus sum; propterea restaura me divinis genitricis tuæ supplicationibus.

Verbum Patris supra verbum pe-

peristi, quod homines ab omni verbi carentia liberat; illud tu impensè deprecare, ò sola semper Virgo; ut me ab irrationalibus passionibus in servitutem redactum liberum efficiat.

ODE V.

Carnis meæ dolores, atque animæ meæ labores immuta, & negligentiæ nubes depelle, ò Virgo, nubes lucis; & à rebus infestis libera me, dum te cum affectu laudo, & glorifico.

Mediatricem te, ac Oratricem apud eum, qui ex te natus est, nunc prætendo, ò Virgo, cum ego omnibus peccatis plenus sim. Tu fidejussor meus esto, meæque vitæ emendatio, & ad divinæ cognitionis semitam manuductio.

Sanctifica mentem meam, atque animam meam illumina, ò Virgo, & divinæ gloriæ participem effice: Ecce enim malis repletus sum, &

om-

omnis generis concupiſcentiarum ſervus factus ſum, & conſcientiam affero commaculatam.

O D E VI.

Phariſæum ipſum elata mente tranſcendi, ſemper ſuperbè me gerens, & in infinitorum ſcelerum barathra prolapſus ſum: ò tu ſola Caſta, miſerere mei, qui ad graviſſimam redactus ſum vilitatem, ac miſeriam.

Tu quæ omni admiratione ſuperiorem conceptionem, ac partum habuiſti, mirifica nunc ſuper me miſerabilem miſericordias tuas, etenim in iniquitatibus conceptus, & natus, voluptatum mearum ſervus factus ſum.

Lamentor, & fleo, & ingemiſco, cum terribile illud Judicium mente revolvo; mala quippe opera perpetravi: ò Virgo neſcia viri, Mater Dei, in hora illa formidabili aſſiſte mihi.

CATHISMA. ECHUS III.

Compassionis tuæ immensas divitias, & potentiæ tuæ robur invictum mente concipiens, ad protectionem tuam recurro, tribulationibus oppressus, & ad gravem redactus inopiam, & cum lacrymis exclamo de profundis cordis mei: O Virgo Deipara Maria, salvum me fac, ò mundi præsidium.

ODE VII.

Nulla mihi ex operibus salus est, ò Domina; peccatis enim peccata, & malitiæ malitiam adjicio. Tua igitur intercessione miserere mei, ò Purissima, & salva me.

Judicium in foribus adest, consessus Judicis est paratus: Præparare misera anima mea, & exclama: O Verbum, cum me judicabis, noli me condemnare, per preces illius, quæ peperit te.

Cum peccati fructus vindemiaverim,

rim, mortuus ſum, & afferens infructuoſam animam meam, clamo ad te: fructiferum fac me tu, quæ fructu tuo corruptionem aboleviſti.

O D E VIII.

Cum tota bona, ac pulchra ſis, & proxima Regis omnium, ò Deipara; bonis operibus reple me, qui hactenus cum malitia vixi, & dum ſocordia omnem vitam peregi, ut te per omnia ſæcula glorificem.

O Dei Verbum, quemadmodum olim Prophetam e ventre Ceti mirabiliter liberaſti, ita libera nunc animam meam in profundum perditionis prolapſam; cum habeas, ò Salvator, Virginem tibi ſupplicantem.

Cum me ſpecioſa divinæ regenerationis ſtola indutum inveniſſent illi, qui operantur malitiam, denudaverunt me illa, ò Deipara: At tu divinis me veſtibus per pœnitentiam exorna, ò Virgo, interceſſionibus tuis.

ODE IX.

Repletus ſum malis, repletus ſum cogitationibus alienantibus me, ò humaniſſime Salvator meus. Propterea ſuſpiro, & clamo; pœnitentiam concede mihi, & ne repellas me, precor, per interceſſiones Genitricis tuæ, ò unicè multa præditè miſericordia.

Liberer interceſſionibus tuis, ò innocentiſſima puella, ab omni furore mortiferarum paſſionum, & crudeli gehenna, & igne; ab hominibus iniquis, & ab hoſtibus malignis; dum confugio ad tuam protectionem, & invoco te in auxilium meum.

Pulchram anima, pulchram mente, pulchram corpore inveniens te ille pulcher, ex virginali utero tuo corpus accepit, prout ipſe novit, decorans deformitatem noſtram: illum tu, ò Virgo, pro ſalute noſtra precare.

FE-

FERIA II.
ad Vesperas.
STICHERA:

O Immaculata, quæ in omnes creaturas dominaris; animam meam gravissima passionum dominatione oppressam libera quamprimum, ò Dei Sponsa, remedio intercessionis tuæ, & subjice eam filio, ac Deo tuo.

Me gladio serpentis malorum principis vulneratum, & semimortuum in lecto desperationis jacentem, velociter cura, ò puella, medicina intercessionis tuæ, & salvum me fac, ò spes, & protectio mea.

Aspiciens infirmitatem ærumnosi corporis mei, & ex animo dolorem, cordisque afflictionem, ò Deipara; divinæ visitationis dignum me fac: & salva me solicita intercessione tua.

CANON:

ECHUS III. ODE I.

Cum ſocordia ætate tranſacta, ad vitæ meæ finem appropinquavi; Sed tu, precor, quamvis in extremo tempore verſor, da mihi compunctionem, ò Immaculata, ut peccata mea immenſa vehementer lugere poſſim.

Cum ſtulte Dei imaginem paſſionibus carnis meæ profanaverim, timeo, ò Virgo, indignationem, atque ignis horribiliſſimum tormentum. Verum tu miſerere mei confugientis ad te.

Genua flecto miſer; & auxilium tuum depoſco, ò Virgo Sanctiſſima. Tu vero dolentis animæ voces audi; & incumbentes menti nubes precum tuarum ſplendore diſpelle.

ODE III.

Lacrymarum imbres concede mihi, ò benigniſſima Deipara, & paſſio-

ſionum mearum fornacem illis extingue, atque omnes animæ meæ maculas abſterge.

Animæ meæ nobilitatem iniquitatibus fædavi, ò Caſtiſſima: & illam diſquiſitionem formido, qua de imaginis ſuæ dignitate à me rationem Verbum depoſcet.

Peccatorum meorum tempeſtas me aſſequuta, nunc in deſperationis profundum dejecit: ſed tu, ò Caſta, manum mihi protendens, ad pœnitentiæ portum deducito.

ODE IV.

Intraverunt, ò puriſſima, turpium actionum aquæ uſque ad miſeram animam meam, & cogitationum ſordibus occupatus, cum dolore exclamo: Ne deſpicias, Domina, ſervum tuum.

Feræ ſpiritales nunc ſine miſericordia circumdantes me, feſtinant crudeliter arripere infelicem animam meam: ſed tu, ò Puriſſima,

in-

intercessione tua contere molas eorum, quibus animæ corrumpuntur.

Propitia, obsecro, servis tuis esto, Domina, & ab iis, quæ timentur, comminationibus eripe populum tuum, ò Castissima, ut tibi cum gratiarum actione clamemus: Gloria potentiæ tuæ.

ODE V.

Canes multi undique invaserunt me: revera malignorum spirituum synagoga circumdederunt me. Sed eorum consilia dissipa tu nunc, ò Immaculata.

Lacum nunc mihi Belial effodiens, tentat dejicere me in illum: sed per dexteram tuam, ò Castissima, incidat in foveam, quam fecit.

Ne in furore arguar à filio tuo, neque tempore adventus ejus in ira illius corripiar; sed tu salvum me fac, ò Immaculatissima, servum tuum.

ODE VI.

Quando ad nutum conditoris uni-

ver-

versorum futurum est, ut anima mea à carne separetur, ò Purissima; libera me de manu eorum, qui me oderunt, ò Deipara, omni laude dignissima.

Exsicca, ò Dei Genitrix, turbulentos fluvios turbidarum mearum actionum, per fluenta compunctionis, & ad aquas quietis dirige me in die Judicii.

Tu nosti, ò Immaculata, infirmitatem animæ meæ, & mentis meæ imbecillitatem, carnisque languorem: propterea salvum fac servum tuum, te enim præsidium teneo inexpugnabile.

CATHISMA. ECHUS III.

Peccata mea arenæ maris numerum excedentes, cooperuerunt miseram animam meam: tu, ò pura, multitudine miserationum tuarum dele multitudinem delictorum meorum, & ab animi consternatione, quæ me opprimit, libera me, atque

om-

omni gaudio, & lætitia reple cor meum.

ODE VII.

Circumfuſa eſt aqua peccatorum meorum, ò Innocentiſſima, uſque ad animam meam. Abyſſus extrema circumdedit me. Sed tu ab hujuſmodi tempeſtate eripe me.

Aſperge me, ò Caſta, ſanguine lateris filii tui propter multitudinem miſericordiæ tuæ: ablue vero me fluentis lacrymarum mearum, & ab omnibus maculis emunda me.

Da mihi, Domina, animum contritum, & cor humiliatum, ut liber evadam ab omni machinatione eorum, qui ſemper crudeliter inſidiantur mihi.

ODE VIII.

Contere, ò Pura, robore filii tui arcus Belial, & iniquitas ejus in verticem ipſius deſcendat, ut canam ſemper Benedictus, &c.

Somno oppressus in mortem, in sepulchro desperationis jaceo, ò Virgo; sed tu exsuscita me, & dignum me fac, ut vigilanter canam: Benedictus, &c.

Luce tua illumina, ò Puella, cor meum tenebris offusum, & armis lucis, tu, quæ es porta lucis, indue clamantem: Benedictus, &c.

ODE IX.

Exagitat passionum procella, turpiumque cogitationum tumultus, animam meam, ò Virgo: malignorum hominum tempestas assiduè conturbat me; sed tu tanquam bonorum amica ab opprimente necessitate quantocyus libera me.

Anima miserabilis recede à pessimis operibus tuis, & quiesce à malitia, & à divino furore provocando: capesse autem cum animi alacritate præcepta Dei, cum habeas Deiparam, vias tuas dirigentem.

Tu, quæ omnium Dominum pe-

perifti, ab omnibus me veteribus iniquitatibus libera; & univerfis bonis operibus dita me propter multam mifericordiam tuam; ut cum gaudio, & affectu te, ò Deipara, magnificem.

FERIA III.
ad Vefperas.
STICHERA.

PAuperum tuorum, ò Caftiffima, ne oblivifcaris in finem: fed interceffionibus tuis à venturis minis, ac periculis libera nos, & ab imminenti damno, atque ira eripe, ò Deipara, fervos tuos.

In lecto negligentiæ jacens, ò Immaculata, vitæ meæ tempus cum ignavia tranfegi, & vehementer formido horam exitus mei. Sed tu, ò Puella, ad pœnitentiam excita me interceffione tua.

Rejice abs te, anima mea, graviffima onera malarum actionum tua-

tuarum, & lacrymabunda accede ad matrem immaculatam, exclamans: ò Castissima, fac me dignum portare jugum leve filii tui.

CANON.

ECHUS III. ODE I.

Concede, ò Virgo, sulcos animæ meæ ubertim lacrymis irrigari, & dignum me fac, ut fructum centuplicatum afferre possim: & reple, Domina, omni lætitia cor meum, ut possim te glorificare.

Per viscera misericordiæ tuæ, ò Domina omnium, miserere miserabilis animæ meæ, & ab igne perpetuo, atque à dæmonum incursu libera me, ò Deipara, nunc sub protectionem tuam confugientem.

Cur segniter: anima miserabilis, vitam pertransis, & horrendi Judicii diem non formidas? atqui exurge, quod reliquum est, alacriter ex negligentia, in quam decidisti,

&

& cum fervore nunc exclama: ò Domina, salvum me fac.

ODE III.

Libera, ò mundissima, servum tuum in hora Judicii à gehenna, atque ab omni alia pœna: & filii, Deique tui regni participem fac eum.

Miser factus sum, & curvatus sum valdè, & non est sanitas animæ meæ; Quare, ò Virgo ab omni labe pura, derelinquis me servum tuum in finem?

Quando in nocte venerit Sponsus ad judicandam terram, tunc placitum sit tibi, ò Castissima, ut ego exeam in occursum illius cum lampade splendenti, & repentinum illius adventum adorem.

ODE IV.

Nox tenebricosa passionum occupat servum tuum. Sed tu, ò benignissima, dissipa luce tua nubes animæ meæ, & ad lucem mandatorum

filii tui dirige me, ò Immaculatiſſima.

Dum tempeſtate tentationum, & procellis peſſimarum cogitationum, quæ ſemper me trahunt in profundum deſperationis, demergor; clamo ad te domina, ſalvum fac ſervum tuum.

Quando anima mea à carne ſeparanda erit, tunc aſſiſtens, & compatiens mihi, ab incurſu dæmonum libera me, ò Puella, qui aſſiduè quærunt perditionem meam.

ODE V.

Vide, ò pura, vitæ infirmitatem ærumnoſæ, & miſerabilis animæ meæ: & ab hoſtium incorporeorum inſultu, & à ſpirituali pernicie libera me.

Ne ſinas, Domina, mentem meam à dæmoniaca violentia aſſiduè in turpes cogitationes furtim, trahi, ſed erige illam, ita ut immobilis perſeveret.

Cum

Cum peccatoribus convescens visus est filius tuus ob multitudinem misericordiæ suæ: quem tu, ò Casta, imitans, nunc miserere mei maximi omnium peccatoris.

ODE VI.

Dum vitæ fluctibus ego miser ob meam dementiam assiduè demergor, & ventis hostilibus semper exagitor, nunc ad te clamo, ò Deipara: salvum me fac.

Spiritualium lacrymarum fluenta concede mihi, ò Puella, ut delictorum meorum sordes abluam, & passionum maculas emundem.

Obdormivi in mortem animæ meæ, & jaceo in sepulcro desperationis, sed tu manum porrige mihi, & exsuscita me, obsecro, ad pœnitentiam, & vitam deducens me.

CATHISMA. ECHUS III.

Excellentissimam bonitatem, & benignitatis tuæ abyssum cognoscens;

scens; venio ad te, & ad te clamo, ò omni laude dignissima; vide humilitatem animæ meæ, & ab omnibus culpis, quas commisi, redime me, ò ab omni labe mundissima; & in hora Judicii ab omni pœna libera me, servum tuum.

ODE VII.

Tanquam compatiens, Mater Dei, servos tuos compassione dignos fac, Domina, qui cum fide clamant ad filium tuum: Benedictus Deus Patrum, &c.

Plagam peccatorum meorum, fœdarumque actionum siste, ò Pura, ut cum fide clamem ad filium tuum: Benedictus Deus Patrum, &c.

Quando ante Christi tribunal tanquam reus judicandus ero, ostende te mihi, ò Immaculata; ab omni tormento liberans me ferventi patrocinio tuo.

ODE VIII.

Ne cesses, ò Casta, exorare, ut

ii, qui compuncti honorant te, à Diaboli laqueis liberentur, filio tuo concinentes : Benedictus semper,&c.

Cum ad imperium Dei, animæ meæ è vita demigrandum erit, à laqueo venantium eripe me canentem: Benedictus semper, &c.

O mundi Domina, impertire compassionem tuam servo tuo, obsecro te, & ab æternis cruciatibus libera me, canentem:Benedictus &c.

ODE IX.

O anima mea,appropinquat finis judicium est in januis ; discede ab operibus fœdis, & probam institutionem, ac disciplinam capesse : habes enim pugnæ auxiliatricem Deiparam,quæ te ab omni clade liberabit.

Cum in latrones intellectuales incidissem, ò Purissima, eorum insidiis ego infelix virtutis meæ tunica dementer spoliatus sum, & mortiferis plenus passionibus clamo ad te, ò Deipara : ne despicias me.

Car-

Carnis meæ infirmitatem, animæ languorem, cordis dolorem, mentisque tibi proponens evagationes, exclamo: Horum unicuique adhibe medicinam, ò Purissima, ut cum laude magnificem te.

FERIA IV.
ad Vesperas.
STICHERA. ECHUS III.

INclina Domina aurem tuam, & attende ad verba mea, quoniam inops, & pauper sum ego infelix: propterea ab omni violentia laqueorum malorum eripe me, & salva me, ò Virgo sanctissima.

Die, ac nocte clamavi coram te; ideò intret nunc, precor, vox orationis meæ in conspectu tuo, ò Deipara Virgo, quoniam repleta est omnibus ærumnis anima mea.

Hyssopo compunctionis aspergens, ò Immaculatissima animam meam, à sordibus cito emunda me,

& lacrymarum imbribus ſuper nivem purum, ac nitidum, ò Caſtiſſima, redde me, ut glorificem multam miſericordiam tuam.

C A N O N.

ECHUS III. ODE I.

Tanquam miſericordiæ, & compaſſionis fontem te cognoſcens Dei Matrem; accedens ad tuam benignitatem, precor, ut mihi compunctionem concedas, ò Caſtiſſima Domina, ut lugere poſſim multitudinem delictorum meorum.

Lacrymarum ex animo promanantium ſtillas tribue mihi; ſordes omnes abluens actionum mearum, & malarum cogitationum mortiferas omnes maculas emundans, Templumque divini Spiritus me efficiēs.

Æſtu, ac procellis culparum mearum exagitatus, ac decertantis hoſtis ventis graviter undequaque jactatus, atque in perditionis profun-

dum

dum nunc dejectus, ò Purissima, clamo ad te: salvum me fac.

ODE III.

Luce divina illustra, ò tota pura, mentem meam pravis cogitationibus obtenebratam: tu enim lucem peperisti, quæ ab æterno Patre exorta est.

Cum supplantasset hostis justorum gressus animæ meæ, ad terram dejecit me: sed tu dextera tua erige me, ò Castissima Domina.

Publicani vocibus utens ego infelix, clamo ad te: Propitia mihi esto Domina, & intercessione tua culparum veniam concede servo tuo.

ODE IV.

Voluptatibus, atque oblectamentis carnem iniquinavi, atque animæ puritatem immundis cogitationibus commaculavi, mentemque obscuravi: ne ergo, ò Domina, despicias me servum tuum.

Liberatrix mea esto, ò pura, & refugium meum,& firmamentum,& cornu salutis,& auxiliatrix, quæ me semper liberet ab omni tribulatione, & confundat omnes inimicos meos.

Multitudine tentationum nunc obsessus ego miser, & dæmonum machinis assiduè oppugnatus, ferventem intercessionem tuam cum clamore imploro: ò casta Domina mea, salvum me fac.

ODE V.

Tempus vitæ meæ, ut fumus defecit, ò Purissima, & portis mortis appropinquat, dæmonumque impetum reformido, cum opera illorum in totum perpetraverim: sed tu miserere mei, & salva me.

Exsicca, ò Virgo, malorum meorum abyssum, & lacrymarum fluvios mihi demitte, atque omnem passionum mearum flammam extingue, ò Puella, meque dignum fac, ut in hora disquisitionis, ab igne,

cæterisque tormentis liber evadam:

Ægrotantem peccatis animam meam cura, ò Immaculata, compassione tua, & dignum me fac, ò Casta, ut cum humilitate Filii tui mandata perficiam, ut illius benignitate frui possim.

ODE VI.

Maximum peccatorum refugium ò Dei sponsa, constituit te Dei Filius, ex purissimis sanguinibus tuis incarnatus: quamobrem propitiam te supplicibus tuis ostende.

Illumina splendore tuo, ò benignissima, oculos cordis mei cogitationum confusionibus obtenebratos, & filium lucis effice me, & in loco fulgenti constitue me.

Cogitationum mearum affectibus turbatarum fluctus assiduè me conturbant, ò Immaculata: malignorum verò spirituum tempestates exagitant me: sed tu in impassibilitatis petra confirma me.

CATHISMA. ECHUS III.

Ne projicias me à facie tua, cum irritaverim Deum Creatorem meum, transgredio mandata illius; sed suscipe me, & propter tuam benignitatem dignare me compassione tua; habes enim potentiam; quippe quæ Dominum peperisti: & in tremendo Christi adventu ab igne æterno redime me.

ODE VII.

Fortitudine circumcinge, ô Pura, animam meam, peccatis factam imbecillem, & clamantem ad Filium tuum: Salva me Patrum, &c.

Mortis horam reformidans, propter supplicium immortale, & æternum, ante te procido, Dei Genitrix: salva me tunc temporis à laqueo venantium.

O Deipara, quæ incomprensibilem Deum in utero tuo continuisti, mentem meam multis criminibus in an-

angustias redactam, ab eorundem tyrannide libera.

ODE VIII.

Omnino æmulatus sum illum filium prodigum, omnem vitam meã peccatis insumens: & nunc exclamo: Peccavi tibi, ò Puella: fac me sicut unum de mercenariis Filii, & Creatoris tui, ut glorificem te per omnia sæcula.

Repleta est malis anima mea, ò Deipara, & reputata est cum descendentibus in lacum: at tu educ me, ò Puella, de fovea infelicitatis meæ, & de luto fæcis malorum meorum.

Exora Christum, quem ex tuo sancto utero peperisti, ò Deipara, ut plurimorum delictorum meorum veniam mihi concedat: Benedicite omnia, &c.

ODE IX.

Humanum genus inexpugnabili presidio tuo, ò Purissima, ditatum,

clamat ad te die, ac nocte: ne desistas assiduè deprecari factorem, & filium tuum, ut eorum, qui laudant te, misereatur.

Jacula obscænarum passionum animam meam vulneraverunt, ob demonum violentias: contrariarum cogitationum tela assiduè sauciant mẽtem meam: propterea, ò Puella, medere difficillimis vulneribus meis.

Amove à me, ò Deipara, bellatorum hostium flagella quantocyus; etenim insultus eorum, plurimamque malitiam, & immanitatem ulterius miser ferre non possum: sed tu festinans eripe me.

FERIA V.
ad Vesperas.

STICHERA. ECHUS III.

FOrtitudo mea, & firmamentum, ac robur; & animæ meæ dolentis consolatio es tu; propterea attende voci meæ, ò Deipara, & ab om-

omni vitæ perturbatione, ac ſolicitudine eripe me.

Ventis malignis, tanquam arundo aſſiduè agitor, ò Virgo: ſed tu miſerere ſervi tui, & ne ſinas me uſque in finem impetu eorum jactari, verum ab eorundem poteſtate eripe me.

Cum videres, ò inculpatiſſima, Filium tuum, è ligno pendentem, ejulans exclamabas: Deſiderabiliſſime fili mi, ubi occidit illa pulchritudo tua, ex qua lux oriebatur, & quæ hominum naturam ſpecioſam effecit?

CANON.

ECHUS III. ODE I.

Suſpiria mihi contrito, ac lacrymas ex animo concede, ò Deipara puella, ut plurimos lapſus meos, atque incorrectam conſcientiam meam lugere poſſim, & tuam miſericordiam reconciliare mihi.

Cogitationibus prolabor, ac decido in abyſſum perditionis, ò Virgo, & imploro nunc auxilium tuum; tu ſiſte immobilem mentis meæ imbecillitatem; in petra divinorum mandatorum firmatam.

Fici illius infructuoſæ perſimilis, vehementer exciſſionem timeo, ac ſententiam: ne in ignem mittas me, Deus Creator meus: flectere ad preces Matris tuæ, & veniam concede mihi miſericors Dominus.

ODE III.

Multi ſunt, qui oppugnant me, & tribulant me, & non datur quietem reperire, neque liberationem à circumdantibus me; ne deſpicias, ò Caſta, obſecrationem meam.

Graviſſimorum, ac plurimorum peccatorum meorũ multitudine gravatus ad altitudinem Cæli oculos attollere non valeo: ſed tu, ò Caſtiſſima, erige me, & veniam concede mihi.

Dilacerare miſeram animã meam ſer-

ſerpens fraudolentus quotidie feſtinat: verum tu læthales illius dentes contere, ò Deipara.

ODE IV.

Peccatorum meorum pelagum, & adverſantium cogitationum gravem, magnamque tempeſtatem mente revolvens, exhorreſco: ſed tu gubernacula rege, & ad tranquillum portum dirige me, ò Caſtiſſima.

Graviſſima durities nunc apprehẽdit animam meam cum ignorantia, & oblivione malorum, quæ in vita commiſi, ò Caſtiſſima. Tu ergo ad pœnitentiam eorum, quæ perpetravi, adduc me Domina.

Concupiſcentiarum ignem, lacrymarum fluentis extingue, & vitæ ſpinas ſuffocantes mentem meam ſpiritus igne combure, ò Dei Genitrix, protectio, & firmamentum meum.

ODE V.

Animæ meæ dolorem, carnis lan-

guorem, & mentis imbecillitatem, & inconstantiam tu nosti, ò Virgo: proptereà dignare me misericordia, & gratia tua: ut salutem consecutus glorificem te, ò omnibus laudibus celebranda.

Ne claudas mihi viscera miserationum tuarum, ò Domina, ab omni culpa immunis: sed accedenti ad te cum compunctione misericordias tuas concede, & ab adversis rebus me libera, & illumina, ut cum gratiarum actione collaudem magnalia tua.

Multiplicati sunt nunc super capillos capitis mei, ò Virgo pura, qui oderunt me gratis, & tribulant me, quærentes me dilaniare, ac suam escam facere: Hos igitur pudore repletos averte.

ODE VI.

Sana miseram animam meam; quoniam infirmus sum, ò Castissima, & nihil valeo: excitatus au-

tem, tuam invictam virtutem implorabo: sed tu concede sanitatem carni meæ.

Illumina, ò Puella, oculos meos luce divina, ne obdormiam in mortem, & gaudeat de malis meis inimicus meus: tu enim es illuminatio cordis mei, ò innocentissima.

Torrentes malarum cogitationum pervenientes usque ad animam meam, cooperuerunt eam: Da mihi gratiam, ut pertranseam aquam instabilem, & ad portum tranquillum deduc me.

CATHISMA.

Universa vita mea in negligentia plurima pertransit, ò integerrima: & nunc appropinquavi tempori exitus mei, & timeo hostes meos, ne dilanient animam meam, & in profundum perditionis immittant me; sed tu, ò tota pura Puella, miserere servi tui; & ab eorum molestiis libera me.

ODE VII.

De profundis clamavi ad te, ò Pura: à labiis iniquis, & à lingua dolosa libera me concinentem: Patrum, &c.

Ad te levavi oculos cordis mei, ò Pura: respice; & vide dolorem meum, & salva me concinentem: Patrum, &c.

Despectione multa repleta est anima mea; nunc, ò Domina, miserere mei, & salva me clamantem ad Filium tuum: Salva me, Patrum &c.

ODE VIII.

Liberetur, ò Pura, sicut passer anima mea de laqueo venantium me: laqueus verò eorum citò conteratur: etenim canto: Benedicite omnia, &c.

A juventute mea usque ad senectutem, pudenda opera facio: animæ meæ decor obscuratus est, & omnino formido, ò purissima, terribile examen Filii tui: sed tu ab om-

omni tormento libera me.

Canes ſpirituales, animæ corruptores, nunc circumdantes me, quęrunt exitium animæ meæ: at tu, ò Deipara, imple omni ignominia facies eorum, ut te glorificem per universa ſæcula.

ODE IX.

Tu ſcis infirmitatem ærumnoſi corporis mei, tu dolorem animæ meæ, & cordis mei ſuſpiria, mentiſque meæ errores, ac ſimulacra; ideo compaſſione tua præbe utriſque ſanitatem.

Ætate luxuriosè tranſacta, ad vitæ meæ finem infelix appropinquavi, & fremitus immundorum dæmonum expaveſco, ò Caſtiſſima: ſed tu ab eorum malitia libera animam meam.

Fraudolentias dæmonum aſtutias, & animæ meæ imbecilitatem cognoſcis, ò Deipara, & tribulationes, atque animi conſternatio-

nes

nes, quæ mihi quotidie ab ipsis proveniunt: sed tu, ò Casta, ab eorum tyranide quantocyus libera me.

FERIA VI.
ad Vesperas.

STICHERA. ECHUS III.

O Virginum gloria, ò matrum exultatio, Domina; legatione fungens prò nobis, tanquam immaculata, apud Filium, & Deum tuum ora, ut à tentationibus, & passionibus liberemur.

O humilium sublimitas, ò sublimium firmitas, Domina puella, Deo carissima, ne derelinquas nos.

O gloria Orthodoxorum, atque omnium protectio, & gloriatio; ò Mater semper Virgo: Filium, & Deum tuum semper pro salute nostra deprecare.

SABBATHO
ad Veſperas.
CANON. ECHUS IV.
ODE I.

MIſericordia movere, ò Domina,& animam meam emunda à ſerpentis malitia, & ab infeſtis meis paſſionibus: atque à ſupplicio, Judicioque futuro, & ab igne æterno libera me.

Eorum, qui ceciderunt, revocatio: & eorum, qui ſtant, auxilium es, ò Immaculatiſſima; unde rogo te, mentem meam, ob peccatum collapſam, erige, precor, ut glorificem te.

In te ſalutis meæ ſpes repoſui, & ad te miſericordię viſcera habentem, cum fide confugi: ne deſpicias me, ò ſpes deſperatorum, neque dæmonum gaudium eſſe permittas me.

ODE III.

O tota Immaculata, & Pura; con-

concede mihi rorem misericordiæ tuæ, dum peccati ardore liquesco, & tribulationibus; ipsa refrigera me, & gaudium divinum largire mihi.

Passionibus graviter ægrotantem animam meam ærumnosam, tu, ò Dei Genitrix, tanquam compatiens, visita; & salvum me fac intercessionibus tuis; & à futuro Judicio, ac supplicio eripe me.

Miserere, ò sola Deipara, miserare animam meam miserabilem, dæmonum, ac malorum passionum causa periclitantem; & ante tempus mortis meæ fine, ut exorem te, ut emundes me.

ODE IV.

Abyssus misericordiæ, & pietatis cum sis, ò Dei Genitrix Puella; ab omni dæmonum, ac tribulationum violentia libera me.

A dæmonum vexatione, ac tyrannide, atque ab omni pœna libera me, ò laudabilissima Virgo, tempore finis vitæ meæ.

Timor, & tremor terribilis illius diei opprimunt, & liquefaciunt miseram animam meam: propterea tu illius miserere, ò Deipara.

ODE V.

Lætetur, ò Domina, humilis anima mea, ut timeat filium tuum, & placitum sit tibi, ò Castissima, & immaculatissima, ut ex corde perficiat mandata illius intercessionibus tuis.

Benignè fac, benignissima Virgo, cum anima mea infelici, ut in toto corde meo confitear Redemptori meo, repellens cordis mei duritiam, ò Mundissima.

Custodi animam meam, ut pupillam oculi, in tegmine alarum tuarum, ò bona, atque immaculata; & à malignorum spirituum nequitia, tormento, & molestia libera me.

ODE VI.

Pota me, Domina, poculo compun-

punctionis, & lacrymarum flumina concede mihi, ò carens omni labe: & per hoc extingue flammam æternam, ò sola omni laude dignissima.

Multiplicata sunt super arenam maris peccata animæ meæ, & sicut onus grave opprimunt me. Sed tu, lux mea, antequam finis adveniat, munda, & salva me.

Respice in me, ò mundissima; qui à multitudine immensorum peccatorum in profundum graviter depressus sum: & ad supernum impassibilitatis portum fac me pervenire.

CATHISMA.

Immundarum cogitationum mearum multitudinem, deformium mentis meæ motuum copiosum numerũ, velut nivalis pluviæ, quis referre posſit, ò Immaculatissima? Quis verò incorporeorum hostium meorum insultus, eorumque malitiam enarrare. Sed tu intercessione tua, ò Benignissima, largire, ut ab his omnibus liber evadam.

ODE VII.

Domina, ne in furore tuo arguas me miserum: neque tu bone Domine, in ira tua corripias me; sed parce mihi, utpotè misericors, per supplicationes Genitricis tuæ, ò Salvator meus, & salva me.

Ne tradas, ò Purissima, feris arundinis animam meam, ut fiat cibus eorum: sed redime, & conserva eam, & fac me dignum, ò Puella, partis eorum, qui salutem consequuntur.

Lux, & vita mea: dux, & semita salutaris; protectio, adjutrix, & custos mea; refugium, consolatio, gloriatio, & baculus meus, & Patrona mea esto, ò Domina.

ODE VIII.

Divinis me irriguis reple, ò Virgo, quæ fontem ipsum utero gestasti: libera me à calore peccatorum meorum; & in vitam, ac salutem de-

duc

duc me, ò Casta; duritiam miseræ animæ meæ expelle, ò Virgo; & à dæmonibus libera me.

O nubes, quæ totius Divinitatis imbrem excepisti, deplue mihi, ò Castissima, atque Immaculatissima, stillas indulgentiæ, peccatorum meorum fluxus exsiccans, & passionum flumina refrænans, & à gravissimo dolore me eripiens.

In hora mortis meæ, ò Virgo, à demonum manibus eripe me; itemque à condemnatione, à disquisitione, terribilique examine, & à sævissimis exatoribus, & à principe immanissimo, atque ab igne, pœnaque æterna, ò Dei Genitrix.

ODE IX.

Lucis carentis vespere facta es habitaculum, ò Deipara: ideo illumina animam meam ob transgressiones obtenebratam; & ad lucem inocciduam, atque æternantem dirige me.

Rumpe vincula culparum infeliciſſimæ animæ meæ tentationum impetus ſeda: peccati tumultum compeſce: & animam meam ab afflictione, & duritia libera.

Luce miſericordiæ tuæ illumina me in tenebris ignorantiæ jacentem, ò Puella, quæ datorem lucis peperiſti; & ſemitam deducentem ad Dominum oſtende mihi.

DOMINICA
ad Veſperas.

STICHERA. ECHUS IV.

TE mundiſſimum Regis palatium, ſupplex rogo, ò plurimis digna laudibus, mentem meam omnium peccatorum genere commaculatam emunda, ac jucundum diviniſſimæ Trinitatis fac hoſpitium: ut potentiam tuam, atque immenſam miſericordiam ego inutilis ſupplex tuus magnificare poſſim, ſalutem conſecutus.

Judicem justissimum JESUM Deum nostrum, te enixam esse cognovimus: ipsum ergo absconditum, & cognitum, in futuro tremendo Judicio exora, ò Virgo, ne condemnet me; constituat autem me cum electis, qui stabunt ad dexteram illius, propter suam multam misericordiam, & bonitatem.

Et animam, & corpus, & cor, & mentem tibi Dei Matri dedicavi. Animæ quidem utilia, atque conducibilia postula: corporis autem lascivias mortifica: cor verò illumina, ò Castissima: at mentis inordinatos motus invisibiles seda; & peccatorum tumultum compesce.

C A N O N.

ECHUS IV, ODE I.

Cum sis, ò Castissima, omnibus purior creaturis; cor meum impuris passionibus gravissimè fædatum, intercessione tua pura, ò Dei Genitrix, purifica.

A la-

A lacrymis, ac suspiriis, quæ in futuro tremendo judicio reservantur, libera me intercessionibus tuis acceptissimis apud Creatorem, & Deum nostrum, ò Virgo Mater immaculata.

O Castissima, quæ sola partu tuo, omni cogitatione superiori humanum genus à maledictione liberasti: libera me intercessionibus tuis à carnalibus affectibus, quorum servus factus sum.

ODE III.

Te Cherubim sublimiorem deprecor, Domina, ut mentem meam Serpentis violentiis malè affectam simul cum corpore, ipsius corporis passionibus superiorem efficias.

In formidabili illo examine, quando Dominus ob multa peccata mea me condemnaturus erit, inveniam te, ò Immaculatissima, liberatricem meam à damnatione.

Miserationibus tuis immisericor-

des mores meos, ò Christe, commuta: compassione tua salva me omni compassione carentem, per orationes Genitricis tuæ.

ODE IV.

O Immaculata, quæ es divinus locus Sanctificationis exinanitæ pro beneficio facturæ suæ: sanctifica animam meam, & cogitationem meam illumina.

Turbine malitiæ agitatam mentem meam, meque ob negligentiam totum infatuatum, intercessionibus tuis libera, ò Domina, & à lapsibus eripe.

Nunc ego deprecor te, ò Virgo, palatium Regis, & Cælum animatum, ut constituas me precibus tuis domum Trinitatis, qui factus sum spelunca latronum.

ODE V.

O Agna, quæ Agnum Dei pepe- risti, animam meam morsu veni-

fero

ſero Serpentis dilaceratam, atque in tranſgreſſionum mentes ſeductam vivifica, Domina.

Ferventi interceſſione tua, animam meam malorum frigore congelatam, ad fervidam divinamque Creatoris dilectionem piè excita, ò Deipara ab omni reprehenſione immunis.

O Pulchra, Immaculata, ac Pura inter mulieres, tu libera animam meam infelicem à paſſionum maculis; & viam facilem, qua caſtè vivere poſſim, meditatione tua concede mihi.

ODE VI.

Mortis peremptor factus eſt Filius tuus, ò Virgo, & mortuorum vita, & redemptio: propterea te precor, animam meam mortuam reſuſcita.

Extende mihi auxilii tui manum, ò Immaculatiſſime, in pelago vitę fluctuanti, precibus Matris tuæ, & ſupernarum innumerabilium Poteſtatum.

O Ager, ex quo divina ſpica germinavit: animam meam debilem, ac divinarum rerum fame tabeſcentem ne deſpicias; ſed divinis muneribus, & gratiis enutri eam.

CATHISMA. ECHUS IV.

Præſidium inexpugnabile tribulatorum, & interceſſio parata, ac prompta eorum, qui in rebus infeſtis inopes conſilii, auxiliique verſantur: à periculis eripe me; neque deſpicias me, ò omnium auxilium.

ODE VII.

O Mons divine: ex te, ò Puella, abſciſſus eſt lapis ille, qui idolorum ſimulacra contrivit: animæ meæ idola, & cordis mei lapideam duritiem expelle.

Sicut non es commota, ò Puella, recipiens illum in medio tui, qui cum terram, & ea quæ in terra ſunt, reſpicere voluerit, commovet illa: ſic ſtabilem, precor, redde me ho-

ſtis inſultibus agitatum.

Dejiciens carnales meos affectus, totum me, ò Deipara, fac ſpiritualem; virtutibus exornans me, quem nequiſſima voluptatum ignominia denigravit.

ODE VIII.

Maturum peperiſti fructum, ex quo mors comedens mortua eſt. Propterea clamo ad te: Domina, vivifica me, perditionis fructu fraudolenter extinctum: dum clamo: Benedictus, &c.

Motus paſſionum mentis meæ conſopias, ò caſtiſſima Domina, vigilantiſſima interceſſione tua; & ex ſocordiæ ſomno exſuſcita me; ut cum animo vigilanti canere poſſim; Benedictus, &c.

Non habebis, ò anima miſerabilis ibi advocatum, aut patronum, ubi tu opera tua in malitia immenſa accuſabis; propterea pœnitentiam age, & adjutricem ad bonum Ma-

riam Immaculatam ſuſcipe: ſola enim ipſa eſt hominum ſubſidium.

ODE IX.

Rumpe vincula malorum meorum divina lancea Filii tui: ſalva ærumnoſam animam meam compeditam, atque in periculo conſtitutam: & charitate Dei noſtri alliga eam, Virgo Mater.

O cælis latior, anguſtum cor meum ab omni impetu adverſo ad impaſſibilitatis latitudinem adducito; dans mihi virtutem, qua per anguſtam ſemitam incedere poſſim.

Ut te glorificare poſſim, ò Virgo, quæ verè es glorificata; ab omni ignominia peccati libera me, & cæleſtis gloriæ participem fac me confugientem ad miſericordiam tuam.

FERIA II.
ad Vesperas.

STICHERA. ECHUS IV.

ECce ulcera animæ meæ denudo tibi, & crudelia tibi vulnera ostendo, quæ latrones, nempe cogitationes malæ, ex dæmonum molestiis imposuerunt mihi. O Domina, nulli maculæ obnoxia, quæ animarum, corporumque medicum peperisti, tu mihi præsta quæ ad salutem meam conducant, recreans me oleo compassionis, ac benignitatis tuæ ad salutis prosperitatem, ac felicitatem.

Quoniam ex incuria, & negligentia mea infelix in multorum delictorum profundum miserè decidi; & consilii, atque auxilii inops desperatione nunc teneor: esto mihi, ò Immaculatissima, auxilium, & propitiatorium, & salus, benevolentiæ plenam consolationem mihi

præbendo, te rogo ſupplex, atque obſecro: & ante te cum fide procidens clamo: Ne ſinas uſque ad finem me eſſe infenſiſſimo hoſti exultationem.

Peccata, quæ feci, & iniquitates meas, quibus deliqui, cognoſco: propterea procido coram te: miſerere mei, Mater Dei, puriſſima Domina: ne rejicias me, neque pudore ſuffundas, ò auxilium peccatorum, atque omnium protectio. Miſerum cor meum illumina; & ante mortem concede mihi, ò Immaculata, ut impudentiſſimas dæmonum facies effugiam, qui ad deſperationem miſerè quærunt animam meam.

C A N O N.

ECHUS IV. ODE I.

Fontem lacrymarum non habeo, ò Puriſſima, quo peccatorum meorum ſordes abluam. At tu largire mi-

mihi imbrem misericordiæ tuæ.

Morbo peccati languidos, ac fractos habens sensus animæ meæ, clamo ad te: Visita me, Domina, & sanitatem largire mihi.

Ex operibus meis salutem non habens, clamo ad te: Dei Mater Maria miserere mei gratis, & salva me intercessionibus tuis.

ODE III.

Salva me, Christe, perfecta Crucis tuæ armatura communiens, ne me capiat hostis virtutibus spoliatum.

Tanquam ille prodigus, ò Pater, divendita substantia tua, peccati divitias mercatus sum: & nunc graviter esurio.

Tempestas peccatorum conturbat me, & graviter esurio: ad portum salutis sospitem deduc me, ò Dei Genitrix.

ODE IV.

Insidiatus mihi hostis, ò Salva-

tor, tanquam leo in abſcondito, & crudeliter captivam trahens animam meam per peccata, ſententiæ gehennæ reum me fecit.

Tu es miſerationum pelagus; & te, ex peccatorum tempeſtatibus tranquillitatem, & placidum portum, nos per te ſalvi facti poſſidemus, ò Virgo perpetua.

Ineffabilis gloriæ lumen utero tuo circumfulgens, ò Deipara; divini Verbi habitaculum effecit, per quod peccatorum tenebræ diſſipatæ ſunt.

ODE V.

Tu, quæ immortalis lucis, ac ſupernæ Sapientiæ tabernaculum prænunciata es: pœnitentiæ portas aperi mihi, ò tota immaculata, & pura.

Tu, quæ inviſibiles hoſtes fugas, ac vincis ſine armis: contra peccata mea armare, & ſalva me, Dei Genitrix Domina.

Partus tui fulgor omni luce ſupe-

rior, ò castissima Domina; eos, qui in tenebris, ac noctè peccati dormiunt, illuminat, & emundat.

ODE VI.

Veræ pœnitentiæ introitus facta es absque errore; per quem deduc me ad illam, ò Virgo, spes, ac patrocinium omnium.

Cum ad vitæ fines, ac mortis vincula nunc pervenerim: tanquam lucis æternæ Mater affulge mihi, ò Pura, per pœnitentiæ Orientem.

Tanquam constituendi in terribili, justoque Judicio; misericordiam tuam singularem, ac formidabilem (hostibus) imploramus, qua defendas nos.

CATHISMA.

Ad protectionem tuam omnes nos confugientes, ne derelinquas, ò Virgo: sed suscipiens deprecationem nostram, intercede pro servis tuis apud Amatorem hominum,

ut salutem consequamur:

ODE VII.

In tuæ intercessionis portu confidentes; ex tempestate periculorum peccati, ad tranquillitatem veræ vitæ tandem, ò Castissima, perveniamus.

Cum siti propter peccata laborem, te fontem habens, clamo ad te Deiparam: Da mihi refrigerium: tu enim es fluvius vitæ.

O Deipara, quæ Luciferum, qui est prior Sole, peperisti: oriri fac lucem pœnitentiæ illis, qui cum fide ferventi te Matrem Dei confitentur.

ODE VIII.

Gravia peccatorum pericula, & dolores mortis invenerunt me: propterea auxilium tuum, ò Mundissima, deposco: à criminibus absolve me; tu enim salus es fidelium.

Salve lucerna luminis, quod ex

Patre exortum eſt ante ſęcula. Salve Templum myſticum divini Spiritus. Salve ſpes, ò Deipara, quæ peccatoribus ardenter patrocinaris.

Te Theologorum voces laudibus glorificant, tanquam Verbum enixam, mundi ſalutem: & clamant vehementer: Omnia opera, &c.

ODE IX.

Ad divinam protectionem tuam; tanquam ad pretioſam medicamentorum officinam, recurro, & oro, & cum fide clamo ad te: Peccatorum meorum ulcera ſana interceſſione tua.

In ſpe, quam in te habeo, ſegnitiem meam repoſui, ò Caſtiſſima; & te invoco in auxilium imbecillitatis meæ: ne me deſpicias, obſecro.

In te, Domina, completa ſunt magnalia conſilii Altiſſimi. Unum enim Trinitatis peperiſti, & ſalvas ſervos tuos te cum affectu glorificantes.

FE-

FERIA III.
ad Veſperas.

STICHERA.

PEccati mei ſordes abſterge, ò Domina Deipara, omni laude digniſſima; & omnia vulnera, atque ulcera univerſa ex peccato contracta repurga, ò Pura; & mentis meæ inſtabilitatem compeſce, ò Veneranda: ut potentiam tuam, ac validiſſimam defenſionem tuam magnificem ego miſerabilis, & inutilis ſervus tuus.

Languorem, ac diſſolutionem animæ meæ commuta, ò Immaculatiſſima Dei Mater, in robur, & fortitudinem: ut cum timore, & amore exſequar, & perficiam juſtificationes Chriſti; quo ignem inextinguibilem effugiã; & cæleſtes ſortes, vitamque immortalem per te, ò Auguſtiſſima, lætabundus recipiã.

Obſcuritas terribiliſſima mortis fre-

fremit in animam meam, ò Sponſa Dei; & dæmonum accuſationes ſemper ad ſtuporem, ac tremorem provocant eam, ò Benigniſſima: ex quibus libera me potentia tua; & ad portum ſalutis, & ad lucem carentem veſpere dirige me, ut cum fide te honorem, ò Immaculatiſſima.

CANON.

ECHUS IV. ODE I.

Tu ſola defenſio, refugium, & cuſtodia ſervorum tuorum es, ò Dei Genitrix Caſta: propterea ante te procido, & exclamo: Salva me infelicem, ſalva me, utpote piiſſima.

Actiones meæ occultæ flagellant conſcientiam meam, ferentes accuſationem ante faciem ejus. Feſtina, Domina; eſto mihi auxilium ante adventum Judicii. Libera me, & ſalva me.

Sanctifica, Domina, inquinatum cor meum, tu quæ ſanctiſſi-

mum

num Verbum genuisti, & omnibus supernis Potestatibus sanctior es, ò sola cunctis laudibus celebranda.

ODE III.

Mentis meæ tenebras, ò Deipara, utpotè benigna, dissolve, precor, luce illa, quæ est in te: & intercede pro me, ut per pœnitentiam mores meos in meliores commutem; quippè quæ bona es, ac multa prædita misericordia.

Stillis misericordiæ tuæ extingue, ò Virgo Deo carissima, carbones passionum mearum, & lucernam extinctam cordis mei accende, tu quæ es lucerna aurea, ò Purissima.

Peccati tempestas, & fœdarum cogitationum fluctuatio exagitat me: misericordia movere, ò tota Immaculata; & auxilii tui manus, tanquam compatiens, extende mihi, ut salvatus beatificem te.

ODE IV.

O Dei Mater super omnes res ad-

mirabilis, affulge mihi per pœnitentiæ radium: infelicis animæ meæ tenebras dissolve; pravasque cordis mei cogitationes extermina, ò Puella.

Te omnium mortalium propitiatorium cum fide supplex oro, atque obsecro, ò Benedicta; ut Judicem Filium tuum propitium reddas mihi quo te cum laudibus glorificem.

O sola Casta, tu cor meum humiliatum, ac lepra infectum ob impuras passionum illecebras, tanquam medicæ artis perita, curato; & à dæmonum manibus eripito.

ODE V.

Passionum, cogitationumque vi mortuus, ad miserationes tuas confugio, ò Mundissima; & ad ferventem tuam protectionem, atque auxilium recurro, ò Domina. Tu, quæ sola vitam peperisti, vivifica cor meum.

Peccati gladio me vulneratum, sana efficacissima medicina tua, ò

Immaculata, quæ Chriſtum Salvatorem peperiſti, propter me lancea vulneratum; qui cor ſerpentis vulnere transfixit.

Mentis meæ erroribus medere, ò libera ab omni macula: animæ meæ paſſiones cura; ſocordiæ meæ tenebras elimina; ut cum laudibus te canam ſemper Beatiſſimam, ò Deipara omni laude digniſſima.

ODE VI.

O ſola omnium auxilium, adjuva nos periclitantes, manumque nobis porrige: & ad portum ſalutis dirige nos, ò Puella, Deo gratiſſima.

Ab accuſatione, infeſtoque dæmonum furore; ab judicio, & igne: à tenebris, ac tormentis, in hora illa tremenda eripe me, ò Immaculatiſſima.

Hymnis te celebro, ò Puriſſima; & glorifico veneranda magnalia tua: propterea ab impuris affecti-

bus

bus libera me, & dignum me fac gloriæ ſempiternæ.

CATHISMA. ECHUS IV.

Exaudi, Domina, ſervum tuum ex animo dolenti vociferantem; & multorum mihi malorum remiſſionem concede; te enim invoco nocte, ac die: libera me, ò Deipara, ab igne Gehennæ; & à dextris Filii, ac Dei tui conſtitue me.

ODE VII.

O Deo cariſſima, quæ ſola immutabilem Dominum peperiſti: eundem precare, ò Caſta, ut dextera ſua ad meliora mutet mentem meam, quæ dæmonum vi graviter undequaque circumvertitur.

O Regina Virgo, quæ Regem Chriſtum peperiſti, miſerere mei, & ſalva me paſſionibus exagitatum: fide confirma; & deduc me in ſemitam ſalutis, ò ſalus fidelium.

Propitiatorium oſtende te mihi,

Pu.

Purissima, apud Filium tuum; gravium debitorum absolutionem impetrans mihi, & ingressum divinum Regni Dei, delitiarumque illius fruitionem, ac lucis participationem.

ODE VIII.

Luxuriosè vitam transegi: atque omne fœditatis genus operatus, formido judicium; formido etiam damnationis meæ sententiam. Miserere animæ meæ miserabilis: & ante mortem indulgentiam concede.

In te spem omnem salutis reposui, Dei Mater innupta: & te semper invoco in auxilium. Salva me ex tribulationibus, ac tentationibus inimici; & malorum meorum vincula dissolve, & à tenebris æternis eripe me.

Apparuisti Angelis superior: Deum enim ineffabiliter corpore induisti. Ipsum igitur deprecare, Domina mundissima, & castissima, ut me carnalibus rebus superiorem ef-

fi-

ficiat, liberetque à futuro judicio: tu vero ab æternis flammis eripe me.

ODE IX.

Animam, corpus, mentemque meam, peccatis meis corruptam, ac vitiatam, stabilem fac, ò Castissima Domina, potenti intercessione tua, & precibus tuis medicinam adhibe; salutarem, scilicet, & immaculatum timorem Dei.

Salva me, ò Casta, quæ Salvatorem, atque Omnimisericordem peperisti: miserare servum tuum: ad pœnitentiæ vias illum dirige: maligni scandala e medio tolle: & ab illius insidiis libera me: atque eripe me ab igne sempiterno.

Illumina, ò Pura, oculos animæ meæ, quæ lucem ipsam peperisti: ne deprehendant me profundissimæ peccati tenebræ, neque cooperiat me desperationis abyssus: sed tu ipsa salva me, & gubernatrix esto mihi ad portum divinæ voluntatis.

FE-

FERIA IV.
ad Vesperas.
STICHERA.

TEmpestas peccatorum præmit me: multarumque cogitationum æstus conturbat cor meum, ac perditionis periculo exponit; O Virgo, precare gubernatorem mundi, quem peperisti; ut à presenti necessitate, atque angustia liberet me.

Immundus factus sum per vitam meam, ò Castissima; revolvens me in luto fædarum actionum, & cogitationum, vexantium me: at tu misericordia tua emundationem concede mihi; & redime me à pœna sempiterna.

Tota vita mea, ò Deipara, in omni pigritiæ genere defecit: nunc verò, cum morti propinquus sim, hostium impetum formido etenim malorum meorum multitudo, are-

nam

nam maris excedit: Tu verò ab horum læsione libera me.

CANON.

ECHUS IV. ODE I.

A coeno passionum: à procella cogitationum: à jaculis maligni, atque ab omni contraria invasione salva nunc animam meam, ò Deipara immaculata, omni laude dignissima; atque ab igne perpetuo libera illam.

Educ me, ò Veneranda, ex profundo peccatorum; & dirige me ad lucem divinorum mandatorum Salvatoris Christi Dei: irradia me salutifero pœnitentiæ splendore; & concede mihi vitam sempiternam.

Pessimo passionum mearum luto infixus, suffocor vehementer ab infestis operibus meis; & non est locus, ubi possim subsistere, ò Domina Virgo, ac Mater; tua misericordia educ me: & ab igne, ac supplicio redime me.

ODE III.

Exoriens, ò Virgo, animæ meæ tenebras expelle: peccati vincula disrumpe: & salva me, Domina, patrocinio tuo.

Cor meum concupiscentiarum impetu agitatum, in purissimo Dei timore consolida, ò Virgo innocentissima, misericordia tua.

Omni auxilio destitutus, ò Castissima, ad te fortissimum præsidium, ac protectionem accurri: ne ergo projicias me, neque pudore suffundas me.

ODE IV.

Me segnitie oppressum, passionumque obscuritate totum obtenebratum, ac peccati servum factum, libertate dona, ò Puella divina felicitate cumulatissima: & misericordis Filii tui subjice servituti.

Me, dolosi malitia peremptum, vivifica, ò Immaculatissima, quæ

vitam peperisti: ad te enim confugi: & in profundo delictorum defixum educ me, utpotè compatiens, ò tota pura.

In sepulcro immoderatarum concupiscentiarum mearum jaceo, totus desidia, atque indolentia corruptus. At tu, quæ omnium resurrectionem peperisti, vivifica me, ò Benigna, ac salva me.

ODE V.

Voluptatis gladio animam vulneratam habeo, ò Domina: medere mihi tu, quæ Medicum, & Salvatorem Christum peperisti.

Tanquam Dei Mater, quæ Medicum, ac Salvatorem peperisti animæ meæ afflictionem cura, & salva me miserabilem.

Mediationibus tuis, ò Integerrima, ab æterno supplicio, à passionibus inhonestis, & ab omni calamitate liberemur.

ODE VI.

Dejice, ò Domina, hoſtes meos, qui aſſiduè oppugnant me; & pacifica, quæſo, mentem meam, malis fraudibus illectam, & corruptam.

Oriri fac mihi radium pœnitentiæ, ò Domina, & diſſipa nubes pravas cogitationum, ò Virgo Mater: quippè tu porta es Solis Juſtitię.

Compeſce feros fluctus paſſionum mearum, & cogitationum malarum tempeſtatem dipelle, ò ſtabile omnium præſidium, ac protectio ſervorum tuorum.

CATHISMA. ECHUS IV.

Multis ego miſer criminibus mentem gerens obtenebratam, conſtantem tuam defenſionem cum clamore depoſco. Illumina, ò Deipara, pupillas animæ meæ: immitte mihi lucidiſſimum pœnitentiæ fulgorem; & armis lucis indue me, Immaculatiſſima.

O-

ODE VII.

Ab immenſorum peccatorum procella libera me, ò Puella, quæ ſola es validum miſerorum auxilium: & eorum, qui lapſi ſunt, propitiatorium, & refugium, & conſolatio divina, & pons.

Te, ò Deipara, nobis vendico præſidium, protectionem, defenſionem, ac refugium: & in te univerſam opem meam repono; & mentis, & cordis mei cuſtodiam.

O Dei Genitrix, ſpes, & cuſtos, & refugium meum, libera me ab imperio concupiſcentiarum, & paſſionum, quæ me tyrannicè premunt: & concede mihi, ò Puriſſima, debitorum ſolutionem.

ODE VIII.

Animam meam ægrotantem cura, mentem meam obtenebratam illumina; & ab igne, ac tormentis æternis intolerabilibus eripe me, ò Dei Mater Virgo, tota immaculata.

Stultè ſuccumbens paſſionibus meis, incidi in profundum perditionis; & flammarum fomitem me ipſum effeci: unde ad te clamo, ò Deipara, ab omni paſſionum genere libera me.

Perturbationum mearum pelagum exſicca tu, quæ miſericordiæ pelagũ, Redemptorem ac Dominum genuiſti: & malorum meorum catenas diſſolve, antequam veniat finis; tu, quæ Deum ac Salvatorem peperiſti.

ODE IX.

Luce tua illumina me, ò Puriſſima, quæ lucem inacceſſibilem peperiſti: diſſolve nubes animæ meæ; & à tenebris obſcuris eripe, divina illuminatione me faciens dignum, ut laudare te poſſim, ò Mater Virgo.

Miſerationum tuarum ſtillis ablue, ò caſta Domina, graves maculas meas, & dignare, ut perpetuo emanent ſcatebræ cordis mei; paſſionum ſcaturigines reprimens; & à ſuppliciis eximens me.

O Amatrix bonorum, Deipara, quæ Amatorem bonorum Deum suscepisti; libera me, precor, quamprimum ab amicitia carnis servilis; atque in perditionem abeuntem, divinæ voluntatis subjice servituti.

FERIA V.
ad Vesperas.

STICHERA:

Lacrymas da mihi, Deipara, mentemque contritam; & eorum, quæ in vita perpetravi, delictorum confessionem: ut per auxilium tuum, in pœnitudine peragens vitæ meæ tempus, ad requiem perveniam.

Nunc Belial, tanquam leo insidiatur mihi, ut accipiat me: maxillas illius, & machinamenta contere, ò Castissima: & salvum fac me servum tuum potentissima intercessione tua: & cælestis gaudii dignum me fac.

Nunc ignis accensus est, ò Deipara, justo Christi Dei judicio; & magis inflammat servos tuos propter multa peccata nostra. Verumtamen precare Filium tuum, o Puella, ut omnes, qui te beatificant, ab infesto tormento liberentur.

CANON.

ECHUS IV. ODE I.

In ligno vitalis Crucis affixus, ò longanimis, ac patiens, illum, qui olim per lignum mortuus erat, vivificasti: propterea nunc miseram animam meam vivifica, Salvator meus.

Lucis tuæ splendoribus illucesce, ò Puella integerrima, cordi meo passionum, ac tentationum nocte detento, quæ Justitiæ Solem omnibus ineffabiliter oriri fecisti.

Patronam te, ac salutis conciliatricem, & murum vitæ inviolatum profero, o Castissima Deipara, o-

mni laude celebranda, quæ Deum universæ creaturæ benefactorem genuisti.

ODE III.

Animarum Medicus fecit te medicaminum fontem, Mater Dei Castissima: medere nunc animæ meæ. O tabernaculum mundum ac pretiosum castitatis, ac virginitatis; Spiritus Sancti tabernaculum effice abjectum ac vile cor meum.

Ægrotantem nunc passionum invasionibus animam meam sana: & in hora mortis e manu dæmonum eripe eam.

ODE IV.

Me negligentiæ somno oppressum, ad pœnitentiæ matutinum exsuscita, Puella: & ante finis adventum purifica, & salva me, utpote misericors.

Contritam seductoris violentia animam meam miserabilem, totam

renova; & à ſupplicio libera me.

Propitiatio, & redemptio noſtra agnitus eſt à nobis Filius tuus, ò Virgo: quem tu deprecare pro ſalute eorum, qui te cum animi compunctione beatificant.

ODE V.

Paſſionum victricem fac, ò Immaculatiſſima, mentem meam; & cogitationum impetus ipſi ſubjice, ò Sponſa Dei; & à damnatione æterna libera me.

Monſtra te mihi ſervo tuo liberatricem à paſſionum, malorumque dæmonum illecebris: te enim, ò Immaculata, potentiſſimam defenſionem, & interceſſionem, quæ cum pudore non rejicitur, poſſideo.

Tu, quæ divinum carbonem ſecundum carnem peperiſti, paſſionum, & concupiſcentiarum mearum flammantes carbones extingue, ò Domina, rore miſericordiæ, propter ineffabilem viſcerum tuorum pietatem.

O-

ODE VI.

Peccatorum meorum catenas diſrumpe, ò Dei Sponſa: & à graviſſimis ſuppliciis miſericordia mota, eripe me, ò Puella: & lucis, & vitæ æternæ fac me dignum.

Arefac, & radicitus extirpa, ò Intemeratiſſima, ſpinoſas cogitationes cordis mei; atque illud fructiferum redde, & Trinitatis tabernaculum effice.

O Virgo ſola Dei Genitrix, quæ vitam nunquam ſeneſcentem peperiſti; occide carnis meæ prudentiam; & dignum me fac vita, & gloria incorruptibili.

CATHISMA. ECHUS IV.

Lacrymarum fontes largire mihi, ò Sponſa Dei Immaculatiſſima; quibus perturbatas paſſionibus cogitationes cordis mei abluere poſſim: turpiſque cupiditatis flammam perfectè extinguere; ac laudem conſequi

per venerandam mediationem tuam, ò Virgo Dei Genitrix pura.

ODE VII.

Te invoco, ac precor, Deipara casta, cum fide, ut miserum cor meum custodias; & à flammis, cruciatibus, & tenebris æternis liberes me.

Confige, Virgo pura, lancea Filii tui peccatorum meorum chirographum; & ab omni dæmonum potestate in hora mortis meæ libera me.

Extingue, Virgo pura, lacrymarum mearum fluminibus, atque imbribus miserationum tuarum, fornacem illam, quam, dæmonibus cooperantibus, multitudo malorum meorum mihi comparavit.

ODE VIII.

Corde, & lingua, & animo prædico te, ò Dei Genitrix; tibique supplico, ò Inviolata: cor meum illumina splendore tuo, & ab infe-

ſtis tenebris libera me, ut cantem: Omnia, &c.

Ægrotanti animæ meæ, ò Virgo, medere; & ſordes paſſionum mihi inhærentes ablue; & ante tribunal Omnipotentis Dei totum ſalvatum repræſenta me; ut cum affectu glorificem, ò Caſta, bonitatem tuam.

Graves compedes peccatorum meorum, quibus alligatum eſt cor meum, rumpe & contere; ò Virgo caſtiſſima; & animam meam tranquilla; mentiſque meæ imbecillitatem, atque inconſtantiam, ſtabilem, ac firmam redde; ut cantem: Omnia, &c.

ODE IX.

Salvum me fac damnationi obnoxium, ò Virgo, quæ Salvatorem concepiſti, & in carne peperiſti: etenim ego peccatorum pondere gravatus, cum dolore clamo ad te: ſalva me, ſalva me miſerabilem.

Te mundi præſidium, & Dei Ma-

trem Virginem, universæ vitæ meæ tutelam, ac salutem audens prætendo: tu enim, quæ Deum genuisti, salvare potes collaudantes te.

Illumina, ò Pura, animam meam, negligentiæ tenebris oppressam: & à flammis, tenebrisque æternis libera me intercessione tua; ut salutem adeptus, concelebrem magnitudinem tuam.

FERIA VI.
ad Vesperas.

STICHERA.

TU, quæ semper intercessionem vigilantem, jugemque advocationem habes apud Dominum, ò Castissima, tentationes seda animarum nostrarum: fluctus tranquilla, ò Purissima: & supplices tuos tribulatione vexatos consolare, te precor ò Puella, & gratia reple servos tuos, ut concordi voce te laudemus.

Considerans Virgo inexplicabilem

lem

lem conceptionem ſuam, partumque ineffabilem; abſcondebat ſe, & in has voces lacrymis admixtas erumpebat: Tibi ego ubera dabo, qui nutris univerſa? vel laudabo te tanquam Filium, & Deum meum, ut inveniam tibi, Domine, nominis nuncupationem, qui es innominabilis?

Reſurrectio mortuorum facta es, ò Laudabiliſſima; & eorum, qui ceciderunt erectio; & murus, & firmamentum eorum, qui in præceps deturbati ſunt doloſa fraude bellatoris hoſtis per cibum, quem comedit primus Parens. Nam Chriſtum bonum, atque hominũ amatorem peperiſti: quem impensè, ò Sanctiſſima, pro ſalute noſtra deprecare.

SABBATHO
ad Veſperas.

CANON ECHUS PLAGII I.
ODE I.

O Tabernaculum luciferum Chriſti Regis, irradia mentem

tem meam inimici fraudibus obtenebratam, criminumque caligine obcœcatam.

A malis cogitationibus animam meam miſeram libera, ò Dei Genitrix, & fac illam domicilium divinum: ut juxta debitum glorificem te, ò Sanctiſſima.

Cum ad Dei imperium, ex vita hac temporali demigraturus ero; dæmonum manibus fac me ſuperiorem, ò Immaculata; Angelos mihi comites tribuendo.

ODE III.

De lacu miſeriæ, & anguſtiæ educ me, qui te ſine dubitatione collaudo, ò Deipara ſemper Virgo.

Saccum conſcinde immenſorum criminum meorum: & virtutum lætitia circumcinge me, ò Deo gratiſſima.

Lacrymarum ſtillas concede mihi, ò Caſta, ut cordis mei duritiem depellam, teque lętiſſimè collaudem.

O-

ODE IV.

Quare, o anima mea, infructuosam ficum imitata es, non timens excisionem, flammamque sempiternam? Festina ergo; & antequam finis adveniat, resipisce.

Quæ lingua enarrare poterit malorum à me commissorum immensa maria, ac peccatorum abyssum? Salvum fac me desperatum, ò Virgo inculpatissima.

Quam defensionem miser inveniam in hora illius examinis, cum ante Judicem constituar? Propterea salvum me fac, ò Castissima, advocationibus tuis.

ODE V.

Respice, & exaudi, Domina, vocem meam: & libera, quæso, me à suppliciis sempiternis.

Peccati jaculis percussus sum, & clamo ad te: Medere, ò Impolluta, vulneribus cordis mei.

Miserere mei, precor bonitatem tuam, ò sola Domina digna laudibus: & dignum me fac compassione tua.

ODE VI.

Sicut leo rugiens quærit dolosus dilaniare me, & malitiæ me cibum efficere: sed tu, ò Casta, ab hujus læsione libera me.

Propitius esto, ò Amator hominum, per intercessiones illius, quæ castè peperit te: & libera servum tuum ab omni tribulatione; & gloria tua æterna dignum fac illum.

Circumdedit me delictorum abyssus, attrahens me in profundum desperationis. Propterea dum te, ò Casta, glorifico; educ me ex Inferno novissimo.

CATHISMA.

Cur, ò anima infelix, in socordiam prolapsa, oblita es Dei tui, qui miseretur tibi? & illius mandatis

ne-

neglectis, in luxuria vitam insanè peragis? Recede à malitia, clamans ad Deiparam; Desperatæ animæ miserere.

ODE VII.

Malorum meorum, tam voluntariè, quàm involuntariè perpetratorum, concede mihi veniam, ò Domina, benignitate tua.

Infirma redditur mens mea, immundarum pravarumque cogitationum ictibus: adjuva me, ò Benignissima.

Passionum animæ meæ dolores, intercessionum tuarum medicina nunc cura, ò Deipara.

ODE VIII.

Cum per incuriam ætatem transegerim, miser vitæ meæ fini propior factus; exclamo ad te: A laqueo adversariorum erve abjectam animam meam.

Ne in furore tuo arguas suppli-

ces tuos, Christe Deus; neque in ira tua corripias populum tuum, ò Immunis à peccatis: tuam enim Genitricem tibi offerimus legatam, atque oratricem per omnia sæcula.

Dum corporalibus infirmitatibus, & passionum insultibus, atque animæ doloribus gravissimè exanimor: concede mihi, ò Virgo Deipara, robur, ac firmitatem mediatione tua.

ODE IX.

Cum super thronum gloriæ sedebis, Christe; ut judices mundum, quem plasmasti: me quoque servum tuum ad dexteram tuam, Salvator, annumera.

Ab igne perenni, ac verme irrequieto, universisque tormentis libera me, ò pura; qui in te spes meas collocavi.

Quando anima mea ab ærumnoso corpore separanda erit; ab hostium invisibilium tyrannide libera me, Sponsa Dei.

DO-

DOMINICA
ad Vesperas.

ECHUS PLAGII I.

STICHERA.

FAc, ut affulgeat mihi pœnitentiæ lumen, in malorum tenebris nunc dormienti; & effice me filium lucis: tu enim Dei Verbum, mundi lucem, peperisti, tabernaculum Cælis sublimius: eleva me, ò Immaculatissima, qui per singulos dies à dæmoniaca violentia pertrahor in passiones corporis mei: & adduc me ad sublimem altitudinem vitæ divinæ; ac virtutum opibus dita me, Christum exorans; ut pacem mihi demittat, magnamque misericordiam.

Hostis, qui est caput malorum, jaculis in corde vulneratus, totius corporis dolore discrucior: & infirmus adjuvantem me non habeo; infelix, dejectusque procumbo, ò

Ca-

Caſta. Cæterum tu, ò omni carens macula, miſerere ſervi tui: & animæ meæ doloribus medere: & præbe mihi auxilium ſuper lectum doloris mei: tu enim es conſolatio mea, & protectio, & firmamentum, & à periculis liberatio; tu refugium, ac robur meum: Chriſtum exorans, ut pacem mihi demittat, magnamque miſericordiam.

Cogitationum tempeſtate: tentationum, atque anguſtiarum fluctibus: periculorum procellis, paſſionum aſſiduè me perturbantium invaſionibus deprehenſus, exclamo: Accelera, ò Deipara, & à perturbatione graviſſima, quæ me vexat, libera me: ac dignum me fac; ut cum tranquillitate cordis mei, Chriſti miſeratoris leges exequar: ut veterum delictorum meorum indulgentiam aſſequutus, eundem Chriſtum magnificem, qui concedit mundo magnam miſericordiam.

CANON. ECHUS.

PLAGII I. ODE I.

Cum habeas pœnitentiæ tempus opportunum, ab omni improbitate recede anima mea; & Creatori tuo cum lacrymis exclama: Deus meus ſalvam me fac per interceſſiones Genitricis tuæ.

Ne reprobes, neque rejicias me à facie tua, qui Dominum benigniſſimum graviter ad iracundiam concitavi: ſed benevolè ſuſcipe me, ò Mater Virgo, Sponſa Dei.

Abyſſus extrema peccatorum meorum immenſorum undequaque circumdedit me, & in profundum gravis deſperationis attrahit me: tu quæ miſericordiæ abyſſum peperiſti, feſtina, & ſalva me.

ODE III.

Vita per ignaviam abſumpta, nunc infelix portis mortis appropin-

quavi: atque hostium insidias formidans, clamo ad te; Ab illorum violentia libera me, ut glorificem te, salutem consequutus.

Lacrymarum aquæductus mihi concede, ò Laudabilissima, una cum confessione peccatorum meorum, criminumque propitiatione; ut magnificem te, per protectionem tuam salvatus, semperque custoditus.

Gravissima peccati tempestas conturbat me, in profundum delictorum attrahens me, ò Immaculata. Procella contrariarum cogitationum percellit animam meam. Tu, quæ Gubernatorem peperisti, festina ad eripiendum servum tuū.

ODE IV.

Luxuriosè dissipavi, ò Castissima, divitias, quas mihi Christus, utpotè bonus elargitus fuerat: ne ergo despicias me, ò Puella, virtutum fame pereuntem.

In lecto desidiæ jaceo, nihil cogitans de terribili, ac tremendo Domini Judicio: sed tu, ò Casta, exsuscita me nunc ad pœnitentiam.

Repleta est peccatis vita mea, cogitatio mea passionibus perturbata, & anima mea condemnata est: propterea miserere mei, Domina, intima misericordia tua, & salvum fac me.

ODE V.

Lacrymarum fluenta emitte mihi, ò Immaculata, quibus peccatorum meorum maculas ac sordes abluens, laudare possim multitudinem benignitatis tuæ.

Ne damnes me ad ignem inextinguibilem, Christe Salvator meus, per intercessiones illius, quæ castè peperit te; & Apostolorum, omniumque Sanctorum tuorum.

Quis non misereatur tui, anima miserabilis, quis non deploret duritiam tuam? Exclama igitur ad

Christum: Propitius esto mihi per incercessiones Genitricis tuæ.

ODE VI.

In profundum criminum, ò Purissima Domina, prolapsa est anima mea, dæmonum cibus evadens: propterea præter spem salva me.

Illumina, o Dei Sponsa, animam meam, obtenebratam nube cogitationum, ex dæmonis homicidæ insidiis supervenientium.

In die angustiæ, quando à corporeis vinculis dissolvendus sum; tu assiste mihi, & à dæmonum incursu eripe me.

CATHISMA.

ECHUS PLAGII I.

Me ipsum ante judiciariam sententiam nunc defleo; opera mea mala & gravia, & peccatorum, quæ mihi à juventute adhæserunt, & suffocant mentem meam, profun-

fundum mente revolvens: sed tu, ò Casta, patrocinio tuo remissionem mihi concede, & dignum me fac assecutione salutis.

ODE VII.

Carnem quidem fœdavi turpissimis passionibus: mentem autem sordidis cogitationibus inutilem reddidi. Sed tu, o Casta, miserere, & salvum fac inutilem famulum tuum.

Deum, quem peperisti semper deprecare, ut ego desperatus, indulgentiam consequi possim; dum cano cum fide: Deus benedictus, &c.

Pulchritudo Jacob facta es, ò Immaculata: te enim solam Matrem Deus elegit, per quam cum ejusdem Jacob posteris annumeratus est.

ODE VIII.

Libera me, ò Virgo benigna, à tenebris exterioribus, & à verme, qui nunquam quiescit. Tu enim,

cum omnium pepereris Factorem; omnia quæcumque volueris, efficis intercessionibus tuis.

Vide, ò Benignissima, & Castissima, afflictionem infelicis animæ meæ, ejusque mœstitiam; & à dolore quantocyus libera eam: ut te per universa sæcula glorificem.

Suscipe cum compassione Matrem tuam, ò Verbum bonum, intercedentem pro salute populi tui, quem pretioso sanguine tuo acquisivisti: te enim per omnia sæcula benedicimus.

ODE IX.

Obtine nobis precibus tuis propitiationem, & remissionem peccatorum, omniumque rerum difficilium liberationem, cum vitæ directione, mentisque puritate, & illuminatione: ut tuam multam bonitatem glorificemus.

Me ipsum lugeo, recogitans multitudinem peccatorum meorum,

rum, passionum illecebras, animæ duritiem, ac mentis evagationes. Tu me desperatum, dignum fac salute.

Inimici Domini aggredientes me, tanquam latrones; tunica desuper contexta, ac luce perfusa exuerunt me; plagasque mihi multas imposuere: tu ergo me semimortuum resuscita.

FERIA II. ad Vesperas.

STICHERA.

CUm libri aperientur, ò Purissima, in die tremendi adventus Christi: cumque omnes ante terribilem Judicem constituti, sententiam ignis, qui coram tribunali attrahetur, intuebuntur; tuba vehementer sonante: quid faciam miser à conscientia mea accusatus, & ad flammam inextinguibilem condemnatus? Precor igitur te, ut an-

tequam finis adveniat, peccatorum meorum abſolutionem, te mediante, invenire poſſim; ut tuam intimam miſericordiam, ò Caſtiſſima, glorificem.

Propitia eſto mihi, ò Benigniſſima: & à duritie, qua teneor, eripe me: lacrymarum fontes præbe mihi, ò Caſtiſſima, cum humili cogitatione, ac ſpiritu contribulato; per quæ deprimens dæmonum faſtum, ad id, quod perdidi, exaltari poſſim. Tu enim altiſſimum Deum ineffabiliter enixa es, ob ſuam miſericordiam humiliatum, ut hominem ſublimaret. Eundem tu nunc deprecare, ut animabus noſtris miſericordiam magnam concedat.

Quando Domini conſilio ex hujus vitæ tumultu diſceſſurus ero; concede mihi, ò Caſta, Angelos lucidos, ac fulgentes, qui me in itinere comitentur, ac deducant ad lucem veſpere carentem, & gaudium incorruptibile, ubi diem feſtum agentium

tium sonus auditur; atque ubi spiritus justorum exultant; ut excellentissimam compassionem tuam collaudem; & misericordiæ divitias, ac pietatis abyssum Christum magnificem, qui magnam mundo misericordiam concedit.

CANON. ECHUS PLAGII I.

ODE I.

Avitæ voluptatibus delinitus, & ad actus illicitos semper abductus, mihi ipsi supplicium thesaurizo. Concede mihi, Domine, pœnitentiam, antequam finis adveniat.

O Casta, quæ virtutem Altissimi peperisti; atque homines à passionum infirmitate liberasti, da mihi etiam virtutem; ad divinas actiones corroborans cor meum.

O sola benedicta Mater Dei omnium, propitiationem multorum criminum meorum concede mihi: divinæque salutis dignum me fac;

propitium reddens mihi Dominum meum.

ODE III.

Compunctionis lacrymas omnino non habeo, quibus animæ meæ sordes abluã: totus enim mentis duritie detineor; & velut insensatus incedo. Domine miserere mei: & salva me.

Sanctissima Virgo Deipara adjuva me: procellæ, tempestates, turbationes, tumultus pessimarum passionum, & voluptates carnis effrænatæ animam meam coarctant. O Domina mundi adjuva me.

Non est subsidium præter te, ò Immaculatissima; neque spes ulla salutis, aut auxilii: unde ante te procido, atque impensè ad te clamo ex corde contrito: Tu mihi assiste in hora tremendi Judicii.

ODE IV.

O tu, qui solus hominum peccata remittere potes, piissima beni-

nignitate tua dele omnia peccata mea: & salva me Domine.

Vitæ meæ præsidem te habeo; & ad te clamo ex animo: Miserere mei; & libera me ab igne inextinguibili, & à tenebris omni luce carentibus, ò divine Præcursor.

O Maria Domina creaturarum, mihi sub dominio voluptatum carnis passionumque oppresso, largire libertatem divina compassione tua: & salva me.

ODE V.

Quis me non deploret? quis non lugeat me, qui super omnes peccavi, & Deum contristavi? Deus, qui plasmasti me, tu etiam miserere mei.

Propitius esto, ò Amator hominum, servo tuo: & ne exigas justam pœnam eorum, quæ deliqui à passionibus perturbatus, & à mente amenti.

Compesce fluctuationem passio-

num mearum, ò Pura: voluptatum mearum flammas extingue: & da mihi pœnitentiæ refrigerium: & salva me, ò tota immaculata.

ODE VI.

Quemadmodum olim Lazarum à monumento, ò Christe, resuscitasti; ita & me nunc resuscita, ò Longanimis, e sepulchro nefariarum mearum actionum.

Per te datur hominibus redemptio, ò Casta: per te digni vita facti sumus: & per te Creatori reconciliati sumus.

O Deipara piissima, quæ Creatorem peperisti, ab æternis suppliciis libera me: & justorum lætitia dignum me fac.

CATHISMA.

ECHUS PLAGII I.

Opportunum tempus pœnitentiæ adest. Exurge anima mea ex

præ-

præſenti ſegnitie, quæ occupat me: & Sponſo tuo Chriſto feſtinans occurre cum lampade ſplendenti, & compaſſione abundanti cum Virginibus prudentibus; ut gloriosè ingrediaris in thalamum cæleſtem.

ODE VII.

O anima miſera, inſtat finis: rationem ſtabilitam à te præpara: & clama cum fletu & lacrymis: Deus benedictus, &c.

Domine, qui formaſti me, & noſti occulta mea, libera ab afflictione & anguſtia graviſſima in hora mortis miſerabilem animam meam.

Coram te procido, Domina; clamans ex corde meo: Miſerere, miſerere mei, qui Creatorem meum operibus illicitis ac turpibus exaſperavi.

ODE VIII.

Totus illuminatio, & dulcedo es, ò Verbum; quamvis ego infe-

lix à voluptatibus carnis à mentē alienatus ſum, derelinquens te: ſed tu compatiens mihi; converte me ad te.

Tota ætate mea in paſſionum obſequio abſumpta, ad finem miſerabilis vitæ deveni: & ad magnam auxilii, conſiliique inopiam redactus, adjutorium tuum, ò Virgo, depoſco.

Protectio mea eſto, divinumquē patrocinium, ò tota Immaculata; ſalvans me à paſſionibus; & concupiſcentiarum mearum nebulam diſſolvens; atque me ab æterna liberans damnationis ſententia.

ODE IX.

Conſuetudo mala ſemper me trahit in pejus, depravatque mentem, & cogitationem meam: & tanquam captivum ad voluptates adducit. Feſtina: auxiliare mihi, Deipara; ne peream.

Cum ſuſpiriis & lacrymis ante tē pro-

procido, Domina casta: esto mihi adjutrix, & refugium; benignum mihi reddens omnium Salvatorem, ac Deum; ut mihi parcat in hora Judicii.

Tu, quæ Deum genuisti, & Virgo pura permansisti; ab igne æterno, tristique fletu libera eos, qui te cum fide sincerè venerantur; ac Imaginem tuam honorant.

FERIA III.
ad Vesperas.

STICHERA.

EX oblivione præceptorum Dei, similis facta es anima mea ficulneæ infructuosæ, nullam prorsus rationem habens divinæ patientiæ, longanimitatis, ac benignitatis. Quod reliquum est. surge ex gravi somno, quo nunc oppressa jaces, & solerter evigila: & cum lacrymis exclama ad Dominum tuum; Piissime Domine Christe, qui

plurima præditus es misericordia; tempus da mihi pœnitentiæ: neque me infructuosam succidas; Matris tuæ orationibus motus, ut pietatem invenire possim in hora Judicii.

Esto nunc mihi virga, quæ infirmam animam meam sustentet, ò omni laude dignissima: cor meum fœdis cogitationibus inquinatum, fluentis lacrimarum emunda: mentem meam passionum obscuritatibus obtenebratam, tu quæ lucem, Patris splendorem peperisti, illustra: & precare pro me; ut in hora Judicii à tenebris exterioribus liber evadam: & splendentium thalamorum habitatione dignum me fac; exorans Christum, qui mundo magnam præbet misericordiam.

Cum ignominiæ passionibus mentem conspurcaverim; similis factus sum jumentis insipientibus: & totus exanimatus ad te confugio; te deprecans, ò Casta; ut supplicatione tua ferventi & pura emundes me à

sor-

ſordibus operum meorum, ò mundiſſimum Dei habitaculum: & compunctionis lacrymis maculas animæ meæ, & cordis mei vulnera aboleas; Christum deprecans, ut demittat pacem, magnamque miſericordiam.

C A N O N.

ECHUS PLAGII I. ODE I.

Divinam Crucis figuram nobis donaſti, ſalutis portum, delictorum propitiatorium, ò Chriſte omnipotens. quem omnes collaudantes, mentibus illuſtremur.

Domina Deipara, fortiſſimum refugium, miſerere mei, qui te fideliter honoro: miſerere, & ab omni invaſione univerſorum hoſtium viſibilium, & inviſibilium, libera me.

O porta Verbi divini, aperi mihi portas pœnitentiæ; & ſuſcipe confugientem ad te, ò Deipara inviolata; omnino concedens mihi ſalutis requiem divinam.

O-

ODE III.

Esto mihi, ò Purissima: patrocinium, ac protectio: ò Immaculatissima, esto murus, firmamentum, ac præsidium, undequaque hostes repellens, qui me gratis oppugnant, & perterrefaciunt, & vexant miserum cor meum.

Fortissima virtute tua, ò tota immaculata, imbecillem mentem meam contra machinas maligni fortifica per desiderium salutarium retributionum, & fulgoris coronarum.

Sancta Virgo Deipara, adjuva me; ne me devoret leo dolosus, qui semper sitit meam ruinam; & quærit perdere me: Domina mundi, auxiliare mihi.

ODE IV.

Cruce tua divina custodi, Christe, omnia membra mea, & sensus corporis mei, per quos ad me ingreditur perniciosa mors animæ meę.

Mi-

Miserere, miserere Domina: né repellas me abs te, pudore suffusum, & inopem: neque projicias me abs te ad omnium dæmonum gaudium, & exultationem.

Ad te accurro, ò sola immaculatissima: in te cor, animam, cogitationemque meam repono: in te misericordiam inveniam; atque ab omnibus malis liberationem.

ODE V.

Qui Crucem sponte suscepisti, ut humanam salvares natura; libera me, ò Amator hominum, à tenebris, & Chao, atque igne perenni.

Pericula inferni invenerunt me, multæque tribulationes; atque animam meam in angustias redigunt. Tu, ò Sanctissima Domina, libera me ab illis; & inoffensum custodi.

Adjuva me, Domina, firmissima in necessitatibus ac periculis versantium adjutrix: & ab omni ho-

ſtium violentia, atque inimicorum malitia libera me.

ODE VI.

Cruci affixus, ò Amator hominum, univerſis vitam donaſti: igitur me quoque ob peccata mortuum reſuſcita: & deduc me in vitam, utpotè Piiſſimus.

O lampas, quæ nunquam extinguitur, quæ lumen ſpiritale peperiſti; mentem meam tenebris offuſam, gratiæ tuæ illuminatione clarifica.

Miſerere, Deipara, mei miſerabilis, qui turpium voluptatum peccatis depravatus ſum: & deſperatus incedo.

CATHISMA.

Animæ meæ paſſiones, à quibus plurimo dolore afficior, & carnis morbos velociter ſana: mentis meæ evagationes ſiſte, ò tota immaculata Deipara: & fac me dignum,

ut cum traquillitate cogitationum; preces puras offeram Regi universorum; & peccatorum remissionem precibus obtineam.

ODE VII.

Carnem quidem turpissimis passionibus commaculavi: mentem verò immundis cogitationibus inutilem reddidi: sed tu, ò Casta, miserere; & salvum fac inutilem famulum tuum.

Vide, ò Domina, humilitatem servi tui: ab igne æterno libera me; ut incessanter canam: Benedictus es Deus, &c.

Deum, quem peperisti, assiduè deprecare pro me; ut desperatus, indulgentiam inveniam ut incessanter canam: Benedictus es Deus, &c.

ODE VIII.

Libera me, ò bona Virgo, à tenebris exterioribus, atque à verme, qui nunquam quiescit: tu enim Fa-

ctorem omnium enixa, quæcunque vis, tuis intercessionibus adimples, & perficis.

Vide, ò Benignissima, ac Purissima, afflictionem humilis animæ meæ, ejusque mœstitiam: & à dolore quantocyus libera eam; ut te in omnia sæcula glorificem.

O Verbum bonum, suscipe Matrem tuam intercedentem cum compassione pro salute populi tui, quem acquisivisti proprio sanguine tuo: te enim in omnia sæcula benedicimus.

ODE IX.

Obtine nobis precibus tuis propitiationem, & veniam peccatorum, atque omnium asperarum rerum depulsionem, vitæque directionem, ac mentem puram & illuminatam; ut plurimam bonitatem tuam glorificemus.

Hostis consilium est, corrumpere, ac deglutire miseram animam meam per opera mala & enormia.

Chri-

Christe, qui pro me Crucem suscepisti, contere arrogantiam illius.

Me ipsum deploro, recogitans multitudinem peccatorum meorum, passionumque illecebras, animæ duritiam, ac mentis errores. Tu me desperatum dignum fac salutis.

FERIA IV. ad Vesperas.

ECHUS PLAGII I.

Libera me ab igne inextinguibili in die tremendi adventus tui, ò Christe, quando ponentur throni; & Antiquus dierum cum immensa gloria sedebit; tubarum voce per omnes terræ fines resonante; atque in ictu oculi omnem terræ plenitudinem illustrante, ad disquisitionem eorum, quæ in vita gesserunt. O Immaculata, eripe me à tormento perenni: & fac me dignum ut stare possim à dextris Filii tui: atque ipsum deprecare, qui mundo

ma-

magnam præſtat miſericordiam.

Tenebris peccatorum anima mea obdurata, menteque obſcurata, clamo ad te cum compunctione, mentiſque contritione: Illumina pupillas animæ meæ tu enim, ò Immaculata, lucem veſpere carentem peperiſti, quæ ſcientiæ ſuæ ſplendoribus illuſtrat fines orbis terrarum. Illumina mentem meam, ò Puriſſima, fulgoribus interceſſionis tuæ; dignum me faciens, ut filius lucis evadam; ac Chriſtum exorans, qui mundo magnam præſtat miſericordiam.

Miſerere famuli tui, ò Caſta; quando anima mea à corpore (Deo jubente) ſejungenda erit, quod in unum ex pulvere, & ſpiritu compactum eſt nutu divino. Libera me ab hoſtibus inviſibilibus; ne crudeliter me dilacerent, ſuumque cibum efficiant: & fac me dignum, ut inveniam refrigerium, ubi dolor, ac gemitus effugit; ubi delitiarum

tor-

torrens, & vox diem festum agentium, & exultatio reperitur.

C A N O N.

ECHUS PLAGII I.

O D E I.

Spiritum contribulatum, & cor humile concede mihi, ò Benignissima; mentisque puritatem, ac vitæ directionem, peccatorumque remissionem, & lacrymarum fontes largire mihi.

Vide dolorem meum, & mœrorem meum: & antiquorum delictorum vulnera cura; & tempus pœnitentiæ, & confitendi ea quæ peccavi, largire mihi.

Me ipsum defleo ante exitum meum, recogitans abyssum malorum meorum: propterea, ò tota immaculata, supplico tibi, ut Filium tuum preceris, ut liber a supplicio evadam.

O-

ODE III.

Passionum duces impetum fecerunt in me: & id, quod est in me ad imaginem & similitudinem Dei Factoris mei, repleverunt fœditate: tu autem Castissima, ab horum læsione libera me, dum te cum compunctione collaudo.

Hostis fraudolenter me venari studet, æternæ flammæ fomitem volens efficere. Dissolve, o Castissima, illius insidias & consilia; ut te lætabundus glorificem.

Hostes justorum posuerunt me per fraudem in lacu infimo multorum peccatorum. Nunc tanquam auxilio carens, & totus vulneratus, intercessionem tuam imploro: O Domina mundissima, salva me.

ODE IV.

Peccati gladiis vulneratus sum: & nunc totum corpus vulneribus confossum gero, clamans ad te, ut in-

intercessionum tuarum medicamine cures dolores animæ meæ.

Spes, & clypeus, & firmamentum meum tu es, ô Benignissima: tu meorum vinculorum redemptio, & mentis meæ illuminatio, quæ animæ meæ tenebras dispellis.

Miserere, ô Casta, supplicum tuorum: te enim mediatricem apud Deum possidemus: precamurque te, ut ab omni necessitate, atque ab æterno supplicio liberemur.

ODE V.

Vide humilitatem abjectæ animæ meæ, & carnis meæ imbecillitatem, mentisque meæ captivitatem: & præter spem salva me, ô Domina.

Deum, quem peperisti, semper exora pro salute omnium illorum, qui te Deiparam prædicant, & immaculatum partum tuum glorificant.

Quis non beatificabit te, ô Immaculatissima? Etenim Factorem to-

tius mundi, Salvatorem, Dominum, & solum dominatorem ineffabiliter peperisti.

ODE VI.

In profundum scelerum, atque iniquitatum dejectus sum: extende manum tuam, ò Purissima; & ab Inferno desperationis educ me.

Tu scis multitudinem peccatorum, & cogitationum, quæ perturbant me, ò omni macula carens: propterea festina, & ab illis libera me, ò Inviolata.

Parce mihi servo tuo, Christe Domine, per supplicationes illius, quæ te purè peperit; cum veneris ad judicandum mundum quem formasti.

CATHISMA.

ECHUS PLAGII I.

In pelago vitæ, fluctibus exagitatus; & terrenis anxietatibus men-

tem

tem circumfusam ac suffocatam habens: auxilium tuum ex animo imploro. Cæterum tu velociter accurrens, esto gubernatrix, & ad portum pœnitentiæ deduc me: ut laudare possim tuam magnam misericordiam.

ODE VII.

Cum investigo mearum exorbitantium actionum multitudinem, vehementer gehennam formido: à qua tuis intercessionibus libera me, ò Virgo tota Immaculata.

Vermis irrequietus, & ignis inextinguibilis tabescere me faciunt semper, & consumunt animam meam. Ne illorum experimentum capiam, ò *Sanctissima Deipara*.

A tenebris exterioribus, & ab horrendo supplicio redime, ò Virgo ab omni macula immunis, me servum tuum, clamantem ad Filium tuum: Benedictus es Deus, &c.

ODE VIII.

Tibi profero infirmitatem miseræ animæ meæ: & cordis mei imbecillitatem, mentisque meæ errorem enuncio, implorans, ò Virgo, adjutorium tuum.

Propitius esto famulis tuis, ò Verbum, per preces Genitricis tuæ, & salva psallentes: Omnia opera, &c.

Tu, quæ peperisti illum, qui vult misericordiam: miserere omnium recurrentium ad te, concinentium: Dominum laudate, & superexaltate, &c.

ODE IX.

Deum, quem ineffabili ratione genuisti, ò Domina Casta; impensè precare, ut liberet nos à periculis, & angustiis, futuroque tremendo Judicio: & splendore Sanctorum tuorum nos dignos efficiat.

Super omnes peccavi, non obediens, ò Christe, vivificis mandatis

tis tuis; & assimilatus sum jumentis insipientibus. Per orationes Matris tuæ, ò Verbum, ne avellas me à vita, pœnitentia carentem.

Cum misericordiæ abyssum, Verbum Dei pepereris: miserere, ò Benignissima, animabus omnium sub tuam protectionem confugientium: omnes enim habemus te apud Deum patronam, quæ confusionem refulsæ non patitur.

FERIA V.
ad Vesperas.

STICHERA.

CUm flammæ æternæ acerbitatem, & gravitatem perpendo; simulque omnes iniquitates meas, & malorum multitudinem, quæ sine intermissione perpetro; anxietate plurima; & contritione occupatus, corde concido; & in profundum desperationis attractus, animo succumbo. Omnino confidens,

In tua benignitate omnem ſpem meam repono: ò Virgo, fac me dignum, ut deſperatus aſſequar ſalutem; Filium tuum exorans, qui ſolus intimam habet miſericordiam.

Ut vocibus gratiarum actionis prędicem immenſam miſericordiam tuam: de lacu miſeriæ, & de profundo malorum, & de luto fœcis educ me: & concede, ut ſupra petram vivificorum mandatorum Domini firmem pedes meos, ſervans me immotum ac ſtabilem. Tu enim es defenſio mea, & lux cordis mei; refugium, protectio, & propitiatio peccatorum meorum; Chriſtum exorans, qui magnam mundo præbet miſericordiam.

Horam mortis metuens, & dæmonum terribilem inſultum, clamo ad te ego miſer animo dolenti: Contere, ò Deo cariſſima, potentiā tua illorum laqueos & ſcandala; & ne ſinas me ſervum tuum eſcam evadere ferocitatis eorum. Vide tri-

ſtitiam meam, & attende tribulationem meam: & liberans animam meam infelicem à cruciatibus flammæ perennis, conſtitue me, ò Puriſſima, à dextris Filii tui.

CANON.

ECHUS PLAGII I. ODE I.

Chriſtum pro univerſo mundo crucifixum, ne deſiſtas precari, ut liberet nos à lethalibus paſſionibus? & à damnatione ignis ſempiterni.

Quare, ò anima mea, in multa deſidia vitam totam abſumpſiſti; Accelera ergo, quod reliquum eſt, & exclama ad Domini Matrem: Miſerere mei, & ſalva me, ò Dei Genitrix.

Tu, quæ miſericordiæ fontem Chriſtum peperiſti, miſerere mihi indigno: & à flamma ineſtinguibili liberans me, diſpone in locis requiei.

ODE III.

In petra præceptorum Dei confirma mentem meam: ut laudem, ò Deipara, ineffabilem bonitatem tuā.

Dejice, ò Innocentissima, hostium incorporeorum fastum: & ab eorum tyrannide velociter libera me

In profundum delictorum delapsus miser, auxilium tuum imploro, ò Deipara: ne despicias me.

ODE IV.

De profundis clamo ad te: à labiis iniquis, & à lingua dolosa, te precor, ut liberes me: exaudi me, Domina Virgo purissima.

Me ipsum defleo ante exitum meum: libera me à multis meis peccatis, atque igne inextinguibili: exoro te, ò Casta, ut mihi tempus pœnitentiæ concedas.

Ne rapiat, ut leo, tortuosissimus hostis miseram animam meam: sed potentia tua, ò Benignissima, il-

illius dentes contere, à quibus animæ corrumpuntur.

ODE V.

Respice, & exaudi, Domina, servum tuum; & illumina, obsecro, oculos cordis mei.

Miserere mei, ò unice amator hominum, & miserator, precibus Genitricis tuæ; tu enim es Dominus meus, & Deus meus.

Cogitationum fluctus exagitant me, ò Deipara; consopias, quæso, vulnera cordis mei.

ODE VI.

Multiplicatæ sunt, ò Immaculatissima, tribulationes miserabilis animæ meæ; & suspirans clamo ad te: educ me ex infestis concupiscentiis, & salva me, ò expers omnis maculæ.

In hora exitus mei, de manu dæmonum eripe me: & da mihi remissionem peccatorum meorum &

ab æterna damnatione libera me.

Exſuſcita me jacentem in lecto delictorum, ò Virgo inviolatiſſima, & concede mihi radium pœnitentiæ, & ſalutis meæ.

CATHISMA.

Super lectum doloris mei decumbentem, & à diuturnis ægritudinibus abſumptum, nec impetus hoſtis ulterius ſuſtinere valentem, ſervum tuum dignum fac, ò Virgo, viſitatione tua ſancta: & ab eorundem hoſtium malitia libera me.

ODE VII.

Animum contritum, & mentem refrænatam concede mihi, ò Benigna, ut glorificem te.

In iniquitatibus tota vita abſumpta, ad te accurro, ò Caſta, poſtulans remiſſionem.

Propitius eſto mihi, Salvator, ſupplicationibus Matris tuæ: & à tormentis æternis libera me.

ODE VIII.

In pelago vitæ assiduis fluctibus jactatum, & dæmonum ventis perflatum, salva me, ò Puella: & ad divinum celestis politiæ portum adducito me.

Infructuosam ficulneam ego infelix æmulatus, excisionem nunc formido, & flammam æternam: sed tu, ò Virgo, dirige me in viam facilem, qua fructus legitimæ pœnitentiæ facere possim.

Hei mihi! infelix anima mea, quomodo non agnovisti dolosi hostis perniciosam fraudem? Sed tu, quamquam te illius voluntati subjeceris, exclama: De profundo malignitatis ejus, ò Virgo, libera me.

ODE IX.

Te, quæ Deum ineffabiliter genuisti, patrocinium habemus, & murum firmissimum, animæque salutem, ac miraculorum fontem.

Propitius esto mihi, Verbum veri Dei, in die Judicii, permotus precibus Genitricis tuæ; & illis, qui à dextris tuis stabunt, annumera me.

Animarum omnium miserere, Domina: etenim misericordiæ abyssum peperisti, Christum Salvatorem mundi, atque Amatorem hominum.

FERIA VI.
ad Vesperas.

STICHERA.

NOx immundarum passionum me deprehendens, animæ meæ oculos obtenebrat, quæ non consentit fixa acie intueri lucem inaccessibilem, ex te, ò Castissima, ineffabiliter exortam: nec purè irradiari lucidissimis fulgoribus illius. Propterea illustra, te precor, ò Dei Sponsa, sensus omnes animæ meæ; & dignum me fac, ut cum humili-

litate cordis efficiam opera lucis: Chriſtumque exora, ò Puriſſima, qui magnam mundo præbet miſericordiam.

Corpus, animam, ac mentem tuæ bonitati committens, miſericordiam tuam rogo, ò Pura; ut ab infirmitate miſerabilis corporis mei ſanes mentem meam, in cogitationes animæ noxias abſtractam; & in invias ſolitudines ſeductam, firmes nunc ſupra petram mandatorum Chriſti; dum clamo ad te: O Domina, animam meam demerſam cogitationibus fœdis, ablue lacrymarum imbribus ex oculis meis; Chriſtum exorans, ut magnam præſtet miſericordiam animabus noſtris.

Suſcipe, Chriſte, Matrem tuam, quæ te, Domine, pro mundo deprecatur, ut à periculis, mortiferiſque paſſionibus, atque æterna damnatione liberes univerſos. Tu enim es Deus noſter; & ad te confu-

gimus, ſuppliciter rogantes plurimam bonitatem tuam, ut miſerearis inutilium ſervorum tuorum: quoniam & ſi peccavimus, in te tamen credidimus, nullatenus recedentes, Domine, à pietate tua; in te etiam unicam ſalutem expectantes, magnamque miſericordiam.

SABBATHO
ad Veſperas.

CANON. ECHUS PLAGII II.

ODE I.

VItæ voluptatibus anima, menteque obſcuratus, in tenebris valde pravarum actionum ambulo. O Caſta, pœnitentiæ radium tu mihi largire.

Multitudine tentationum ac periculorum abſortus, vehementer ad te clamo, ò Domina impolluta, ac tota immaculata: Præſidii tui manum ad me extende, ò Puriſſima.

Paſſiones valde doloriferas, & con-

contritionem animæ meæ ſana, Mater Virgo pura: & mentem meam illuſtra, quæ modo plurimis hoſtis inſidiis obtenebratur.

ODE III.

A gravi dæmonum perturbatione, & ab hominibus iniquis, atque ab univerſis tentationibus, ac morbis mortalibus, libera me, ò Domina puella incorruptiſſima, interceſſionibus tuis.

Tu, quæ manu Chriſtum continuiſti, qui continent univerſa: à peſſima Diaboli manu, atque ab omnibus damnis libera nos, te deprecamur, ò Dei Genitrix puriſſima.

Maria Mater lucis, illumina animam meam, multis & graviſſimis peccatis obtenebratam, ac jaculis maligni vulneratam, & debilitatam;

ODE IV.

Juſte Judex meus; Judex, quem nihil latet: quando futurum erit, ut

ut me judices, à graviſſima damnatione, atque à flamma perenni libera me, permotus precibus Genitricis tuæ.

O anima mea, ſuſpira: ò anima mea lacrymas effunde; & vias, quæ ducunt ad vitam, alacriter perambula; auxiliatricem habens Deiparam, quæ confuſionem non patitur.

Robore ac fortitudine, (omni impetu immundorum hoſtium debilitato,) circumcinge, ò Domina Immaculata, animam meam, dum ad protectionem tuam confugio.

ODE V.

Hoſtilibus jaculis percuſſus ſum: ſana me totum, precor, ò Puriſſima, protectione tua: & in inviis ſemper aberrantem, ad Dei vias me dirige.

Virgo Mater, quæ ſola inter mulieres, JESUM peperiſſe comprobata es immaculatiſſima: eundem precare, ut miſereatur mei, qui

plu-

plurima peccata commisi, & versor in periculis.

Affulge, ò Inviolata, illuminatione tua mihi, qui desidiæ tenebricosa obscuritate occupatus sum: atque alacrem fac me ad omnia mandata Dei, ut te beatificem cum fide, salutem consequutus.

ODE VI.

Te, Angelorum ornamentum collaudo: ac deprecor, ò Purissima: impura dæmonum phantasmata absconde à me, atque in tranquillitate conserva cor meum.

Carnis ex te, ò Purissima, assumptæ similitudine, cognitus est ab hominibus Deus, quem tu, ò Sanctissima, deprecare, ut exitialem carnis nostræ prudentiam interimat.

JESUS, cum esset ignis; uterum tuum minime comburens, ex te incarnatus processit. Eundem roga, ò Casta, ut ii qui te cum fide col-

laudant ab igne, omnique tormento liberentur.

CATHISMA.

ECHUS PLAGII II.

Adverſantium cogitationum tempeſtas conturbat me, paſſionumque illecebræ in profundum perditionis deprimunt imbecillam animam meam. At tu, quæ Deum peperiſti, miſerere mei, & libera me ſervum tuum; ò ſola Benedicta, à comminatione futura.

ODE VII.

Te ſupplex oro, ò Immaculatiſſima: ne ceſſes precari humaniſſimum Deum noſtrum, ut accipiamus perfectam peccatorum veniam, & preparata in Celis bona conſequamur: ò Dei Genitrix pura.

Doloribus cordis mei medere: mentem meam illuſtra, malarum cogitationum invaſionibus obte-

nc-

nebratam: ò Dei Sponſa ſancta ac pura: & doce me facere divinam voluntatem tuam.

Divinis imbribus irriga cor meũ, ò Immaculata, & fæcundum redde, ut virtutum proferat fructus: & doce me purè cantare: O Benedicta, quæ Deum in carne peperiſti.

ODE VIII.

Per ſingulos dies hoſtis ferox, tanquam leo rugiens arripere me conatur. Hujus impetus atque aggreſſiones cohibe, ò Domina: & ſalvum fac me inutilem ſervum tuum.

Peccatorum ſpinis ſylveſcentem animam meam, precum tuarum falce repurga, ò Caſta: fac eum virtutum fructus afferre agricolæ, & creatori ſuo.

O puriſſimum Domini habitaculum, ab animæ maculis emunda me: hoſtis inſidias compeſce; atque ab illius malitia, omnique pœna libera me.

ODE IX.

Multis vitæ doloribus, & passionum cordis mei inquinamentis undique tentatus, & à peccati onere incurvatus, ad benignissimam protectionem tuam confugio. Utinam à malis meis liberationem inveniam, ò Domina Sancta.

Resipisce, & evigila anima mea ad orationes, atque ad omnem virtutum curam: pigritiæ somnum abiisce: expergiscere. Habes quippè patronam immaculatam & puram, Dei Matrem, misericordiæ amatricem.

Virgo casta, Dei Genitrix, porta lucis: portas lucis aperi mihi: peccati nox ne cooperiat me: dirige vitam meam ad portum tranquillum divinorum mandatorum Christi, qui inter homines conversatus est.

DO-

DOMINICA
ad Veſperas.

STICHERA.

IN mœroribus refrigerium: in tentationibus ſalutem: in periculis propulſationem: in afflictione ſolatium: in morbis medelam: in illecebris revocationem: in tribulationibus conſolationem: in omnibus malis refocillationem, habemus te omnes, ò Virgo benigniſſima: propterea ad divinam tuam recurrimus protectionem.

Miſerere, Domina, miſerrimæ animæ meæ, flagitiis atque illecebris hoſtis doloſi inflexæ ac ſeductæ, & fœdere illi conjunctæ: quæ, licet invita, fœdiſſima illius conſilia, quæ Deum ſummè lædunt, per pravam conſuetudinem exequitur; & in multa corruptione omnimodam ruinam incurrit; & piiſſimum Dominum ſemper provocat ad iram.

O

O Virgo, quæ vitam eſſentialem peperiſti; mortemque aboleviſti, quam Adam tranſgreſſione ſua antè introduxerat: animam meam infeliciſſimam, peccatis interemptam ac mortuam, vivifica venerandis precibus, & ſacerrimis interventionibus tuis; & ad vitam vivificorum mandatorum Chriſti dirige illam: & ad æternam futuram vitam, & ad regnum immortale & infinitum deduc eam, ò Immaculata.

C A N O N.

ECHUS PLAGII II.

O D E I.

Ex paucis hoſtis ſuggeſtionibus, prima Mater introduxit mortem. Sed tu, ò Pura, vitam enixa, nos ob corruptionem mortuos vivificaſti.

Cogitationibus prolabens, & inquinamentis carnis pollutus: ad te, verè puram, & immaculatam, &

ca-

castam confugio. Adjutrix esto servo tuo.

Molestas cordis mei affectiones sana, ò Deipara; confusarumque cogitationum gravissimam tempestatem tranquillam redde, ò Domina, mediatione tua apud Deum.

ODE III.

Tu, qui solus es natura compassivus, ò Verbum, qui ob viscera misericordiæ tuæ propter me in Cruce sanguinem tuum evacuasti; per illam, quæ te peperit; miserere mei, & salva me.

Cum essem Templum Dei per divinam regenerationem, spontè in graves passiones prolapsus sum; Propterea supplex precor te, ò Templum Dei, Domina méa, salvum fac me.

Thalamus Domini electus, fac consortes thalami cœlestis eos, qui in tabernaculo tuo divino, velut in thalamo augusto, te per singu-

los dies cum affectu venerantur.

ODE IV.

Stillis e latere Filii tui cadentibus emunda, ò Casta & Immaculata passionum mearum sordes, & graves maculas cordis mei: & luce tua illumina me.

Esto mihi dux, inducens me in vias rectas, & in semitas salutis, tu, quæ Viam ipsam peperisti; etenim quotidie ex pravo errore prolabor.

Sanctissima Domina, quæ omni sanctitate superius Verbum peperisti: largire sanctificationem animæ meæ, & à procella tentationum libera vitam meam.

ODE V.

Tu, quæ partum peregrinum habuisti: me à Deo peregrinum per peccatum effectum, eidem reconcilia, ac domesticum redde, & ab eodem peccato effice peregrinum, &

ad misericordem Dominum adduc me, ò Deo carissima.

Tanquam Montem vidit te olim Daniel, lucidissimis Virginitatis splendoribus coruscantem, ò Castissima: ex quo abscissus est lapis, qui erroris idola contrivit potentia Divinitatis.

A latronibus invadentibus me in anima vulneratum, ac semimortuum in via vitæ jacentem, & periclitantem; visita, atque inspice me, ò Verbum, per illam, quæ peperit te.

O D E VI.

O Virga honorata, quæ nobis vitæ lignum Dominum germinasti; emunda per Crucem Filii tui miseram animam meam, cogitationes, quæ corruptionem gignunt, germinantem.

A peccati fera, sicut Jonam à ventre ceti, eripe me, ò Verbum, plurima misericordia naturaliter præditum; intercessionibus illius, quæ

te

te incomprehensibilem in utero suō castè comprehendit.

Multiplicata sunt, Domine, super arenam maris pessima peccata mea. Tu, ò Verbum, tanquam misericordiarum pelagum habens, converte, & salva me advocationibus Genitricis tuæ.

CATHISMA.
ECHUS PLAGII II.

Animam meam peccatorum multitudine inquinatam, lacrymarum fluentis emunda, ò Deipara benignissima; & Sanctissimi Spiritus charismatum capacem redde, in te enim spes meas reposui: propterea salvum me fac servum tuum.

ODE VII.

Tu, quæ primi parentis naturam partu tuō, qui fuit super naturam, deificasti: me super naturam peccantem, & Deum natura bonum exa-

exacerbantem, maternis tuis reconciliationibus eidem domesticum redde.

Cor meum peccatorum fluxibus assiduè scaturiens, emunda tu, quæ salutis aquam fidelibus scaturisti, ut suaviter canere possim: Benedictus es Deus, &c.

Cælum in terra facta es Factoris Cæli & terræ: quem deprecare, ut à terræ malis me liberet; dignumque me faciat, ut particeps sim cælestium bonorum, ò Dei Genitrix.

ODE VIII.

Etiam non volens, miser, turpia perpetrans, & consuetudini deserviens, pessimis servis subditus factus sum, qui à Deo dilapsi sunt. Domina Virgo, liberum me fac.

Tanquam ea, quæ botrum peperisti sine agricolæ cultura, qui omnibus salutare vinum ex se emittit: me amarissimi peccati ebrietate obtenebratum, sanitati mentis restitue, & salva me, ò Domina Virgo.

Ne statuas me, Domine, in hora Judicii cum damnationi obnoxium: sed exiguum suspirium meum suscipiens, salvum me fac per intercessiones Matris tuæ, ò Misericors.

ODE IX.

Salva me, ò Christe, qui solus legem tuam salutiferam per summam amentiam despexi, & gravi transgressioni deservio, ac damnatus sum: & miserere mei per Genitricem tuam, ò Christe, tanquam summè bonus.

Esto mihi portus periclitanti in æstu tentationum, ò Domina Deo carissima: & passionum mearum fluctus tranquillans, peccatorum pelagum desicca; ut pro debito laudem te plurimis laudibus celebrandam.

Exercitus Angelorum, & Arcangelorum, Potestatum, Virtutum, atque Principatuum; Dominationes, Cherubim, Seraphim, ac Throni;

ni; Cœtus Apostolorum cum Genitrice tua, exorant te, ò sole Rex Christe: salvos fac servos tuos.

FERIA II.
ad Vesperas.

STICHERA.

QUis me non defleat, qui propter meam incontinentiam, Altissimi præceptum transgrediens, Infernum pro Paradiso desideravi? Cibus, qui mihi dulcis apparuit, in fel conversus est. Extraneus factus sum, ò Misericors, à gloria tua, & ab Angelis. Sed suscipe me pœnitentiam agentem, ò Domine, tanquam miserator, atque hominum Amator, propter magnam misericordiam tuam.

Libera animam meam ab amara morte peccati, & mortis ream, ò Domina immaculatissima: & divinis pharmacis mandatorum Christi vivifica eam, Advocatæ munere

fungens. Virtute tua compesce bella invisibilia, quæ infestant me: & in semitas divinas æternæ salutis & quietis dirige me, obsecro, propter magnam misericordiam tuam.

Lacrymas ex frondibus, tanquam ex palpebris, stillent super me omnes montes. Propter peccatum extraneus factus sum à Deo. Omnia animalia, & ligna edite lamentationem: omnibus rebus infeliciter privatus sum; Deo, scilicet, & Angelis. Sed suscipe me pœnitentiam agentem, tanquam Misericors, & Amator hominum, Domine, propter magnam misericordiam tuam.

CANON.

ECHUS PLAGII II.

ODE I.

Multitudine malorum, & gravium actionum mearum plurimo pondere incurvatus, animæ carnisque cervicem ad te inclino, ò Pura:

ra: & intensè clamo ad te: Tu e-
rige me.

O omnis maculæ expers Puella, fortiſſimum fidelium auxilium, & ſpes humilium: tu libera me à carnis concupiſcentiis, & à paſſionibus, quæ tyrannidem exercent in me.

Illuminatrix eorum, qui verſantur in tenebris, quæ intellectualem lucem peperiſti: illumina, ò Caſtiſſima, animam meam, mentemque ſanctifica, paſſionumque ac peccatorum tenebras elimina.

ODE III.

In te, ò tota pura ac venerabilis, confidens, ne excidam ab expectatione mea, in te: ſed tanquam Mater compatiens Amatoris hominum Dei, à laqueis hoſtium libera me.

Maria Mater Dei, porta ſalutifera, per quam ſolus Factor hominum tranſivit: divinas mihi pœnitentiæ portas aperi nunc, ò Immaculata.

Portus, & Cuſtos eſto mihi, gra-

vibus passionum procellis in pellago vitæ assiduè immaniter jactato: ò Pura, sola semper Virgo.

ODE IV.

O Immaculata, fortitudo mea, & refugium meum, ac murus inexpugnabilis, & apud Deum Legata ad intercedendum, quæ pudore non suffunditur: ab æterna flamma, atque à gehenna libera me.

Virgo inviolata, quæ puritatis receptaculum facta es, capax divinæ inhabitationis: animæ meæ sordes ac maculas dele.

O Maria castissima, passionum; mentis meæ confusionum, & tentationum tempestatem dissipa: ò Mater Virgo, quæ impassibilitatis fontem peperisti.

ODE V.

Cum mentem habeam inquinatam, & ob multa peccata inutilis factus sim: te supplex oro, Dei Ma-

ter, sola Immaculata, miserere mei, & salva me mediatione tua.

Peccati mei vincula dirũpe, ò Virgo, mediatione tua, tuoque patrocinio: & imple miserabilem animam meam lætitia, divinaque tranquillitate, & à tenebris libera eam.

Illumina divino splendore tuo, ò Benignissima, animam meam concupiscentiis obtenebratam; & ad cœlestes semitas dirige eam tu, quæ sola Salvatorem in carne genuisti.

ODE VI.

Peccato obnoxius ac subditus; graviterque vulneratus: infelix ad te, Dei Mater compassione prædita, confugio; obsecrans, ut peccatorum meorum cicatrices aboleas.

O Porta gratiæ, quæ hominibus cœlestem portam aperuisti: pœnitentiæ portas mihi patenter aperi, Domina, & libera me à portis mortis.

Contrariis passionum assultibus exagitatum confirma me; Dei Ma-

ter, quæ impassibilitatis fontem peperisti: ad te enim confugi, miserabilis animæ meæ consolationem.

CATHISMA.

ECHUS PLAGII II.

Salutis fontem postula nobis, Deipara Virgo. In te confidentes, ne pereamus; salvi fiamus per te à peccatis nostris: tu enim es auxilium nobis peccatoribus.

ODE VII.

Propitiatorium apud Deum, te semper possidemus, ò Purissima. Eripe nos à futuris terribilibus suppliciis; & libera nos ab omnibus minis, & insidiis hostium visibilium, & invisibilium.

Ne sinas me perire, ò Virgo: neque concedas me in escam infenso Serpenti, qui assiduè sitit meam perditionem: sed præbe mihi tuam opulentam misericordiam.

Me ſocordia oppreſſum excita ad divinorum actuum operationem, ò Immaculata; roborans me adverſus hoſtes, qui me ſemper graviter oppugnant, & contrariis cogitationibus ineſcatum decipiunt.

ODE VIII.

Tu, quæ partu tuo omnem ſeductoris malitiam ſterilem reddidiſti, fructiferum redde cor meum, ò Caſta, quod ſterile eſt omnium operum bonorum; Deum mihi propitium efficiens.

Offer Deo ſupplices preces, ò Virgo: ſalva animas noſtras, ò Deo cariſſima, ut à nexibus paſſionum, & à peſſima dæmonum violentia liberemur.

Sub tuam protectionem confugio, ò immaculatiſſima Puella: & te nunc vitæ meæ patronam produco. Libera me ab igne ſempiterno, & ab horribiliſſimi Judicii diſcuſſione.

ODE IX.

Passionum æstus conturbat me & concupiscentiarum fluctibus demergit. O Purissima, quæ Gubertorem Christum peperisti, manus auxiliares ad me, precor, extende, ò unica fidelium salus, divina felicitate cumulatissima.

Thalamus, ac Thronus Regnantis; Mons Dei, & Civitas electa, ac Paradisus; Solis nubes tota lucida, illumina animam meam, dispellens nubila iniquitatum mearum multarum: ò Deo carissima.

O Virgo pura, castitatis tabernaculum, & porta lucis, aperi portas animæ meæ, peccati aditus occludens: ne me apprehendat manus crudelis inimici, ò Casta; quæ me ad exitium, atque horribile supplicium deducat.

FERIA III.
ad Vesperas.
STICHERA.

ME in luxuria damnatum, ac bonis operibus denudatum, qui Domini gratiam divendidi: salva tu, quæ sola mundi salutem peperisti, & à molesta captivitate sponte comprehensum, & in barathrum perditionis ob insipientiam prolapsum, ò Domina, libera me propter magnam misericordiam tuam.

Providentia tua compassionis plena, & solicitudine plena pietatis, cor meum doloribus affectum sana: animæ meæ labores seda, vulnerumque dolorem: dissolve funes circumplectentes, ac suffocantes me: compesce, ò Benedicta, passionum mearum turbulentissimos fluctus, propter magnam misericordiam tuam.

Incurvatam, ac deorsum inclina-

tam ob graviſſimum pondus animã meam, erige, ò Virgo. Tu enim ex materna confidentia, facilè promptè-que obſequentem habes Salvatorem, qui erigit eliſos, ac dejectos: & confringe, precor, mediatione tua, peccati chirographum, propter magnam miſericordiam tuam.

C A N O N.

ECHUS PLAGII II.

O D E I.

O Tabernaculum, quod in tuo utero incomprehenſibile Verbum ſuſcepiſti, ò Caſtiſſima, ac Deo gratiſſima: à graviſſima paſſionum procella, quæ me in anguſtias redigit, libera me, ò Pura.

Peccatorum tempeſtates, & adverſantium cogitationum fluctus, impetuſque paſſionum demergunt animam meam: ſed feſtina, ò Beniguiſſima; & ſalvum fac ſervũ tuum.

O Puella, quæ Dei capax fuiſti,

& Dei Filium genuisti: te incessanter deprecor, ut à gravi passionum impetu, à quo in angustias redigor, liberes me, ò Pura.

ODE III.

O Maria, spes omnium recurrentium ad te; Christum exora, ut à tentationibus liberat eos, qui fideliter gratiam tuam celebrant, ò Immaculata Dei Sponsa.

Sub tuam protectionem, ò Casta, confugimus omnes, qui animam gravibus peccatis ob inimici fraudem maculavimus: Tu verò manum adjutorii tui porrige nobis.

Hei mihi, misera anima mea! quomodo infeliciter decepta es ab animarum corruptore in tuis multis actionibus? Verum solicitè ac fervidè exclama ad Dei Matrem, & salvabit te.

ODE IV.

Ecce accedo ad te, ò Immacula-

tis-

tiſſima, & procidens clamo : Suſcipe, ò Pura, animam meam, gravibus culpis obtenebratam : tu enim miſericordiæ amica es, & Mater Dei.

Domina Sancta, eorum confugium, qui confidunt in te : libera à gravibus tentationibus ſervum tuum ; & à flamma inextinguibili, atque à tormento eripe illum.

Tanquam ea, quæ ſola immutabilem peperiſti, diſſolve, ò Pura, funes animæ meæ, & peccatorum remiſſionem concede mihi, quæ pura divinas Angeli voces exaudiſti.

ODE V.

Tu Dei Mater, quæ Salvatorem ac Redemptorem generis humani in ventre portaſti : ab hominum tyranno libera nos, qui cum affectu laudamus te omni laude digniſſimâ.

A gehenna, & à flamma libera me, ò Virgo Immaculata, quæ peperiſti Deum factorem meum : in

te enim ſpem meam collocavi: & te invoco tanquam præſidium meum.

Feræ, & canes quamplurimi quærunt devorare animam meam, ò Immaculatiſſima. Sed tu præveniens, inexpugnabili tuo ac divino præſidio, libera, & ſalva me.

ODE VI.

O Virgo laudatiſſima; quæ lumen quod eſt ex lumine, nobis oriri feciſti: ab igne, & flamma, ac verme, atque à damnatione æterna libera miſerabilem animam meam.

Multiplicati ſunt, ò Caſtiſſima, immenſorum meorum malorum actus: & expectat me fluvius igneus, graviterque comburit. Sed tu, ò Domina Virgo, ab illis redime me.

Ne ſinas me eſſe ludicrum malignis ac mortiferis dæmonibus, ò Caſtiſſima: ſed interceſſione tua ſuccurre mihi, & ſalva me; ut te collaudem tanquam Matrem Dei noſtri.

CATHISMA.

Inſpice, ò Pura, ægrotantis animæ meæ plurimos morbos, & moleſtiſſimas corporis paſſiones: & celeri curatione dignum me fac, proſperumque per iter deduc me ad exſequenda ſancta præcepta benigniſſimi Dei, ut te magnificare poſſim.

ODE VII.

Ego ille prodigus, in te ſpem meam univerſam collocavi, ò Domina; & clamo ad te: Eſto mihi medicaminum officina, ò Pura; & participem vitæ effice me: quippè quæ vitam vitæ illius, quæ principium lucis eſt, oriri feciſti.

Per te, ò Mater lucis inacceſſibilis, (quæ ab eo, qui caret principio, & eſt verè Pater luminum, effulſit) videbimus lumen. Propterea te fideliter glorificamus & collaudamus, tanquam illius Matrem Puriſſimam.

Illuminativam intercessionem tuam nunc suscipimus, ò Castissima; nos qui te pro debito veneramur, & honoramus te cum lætitia: Propterea religiosè concinimus: Benedictus es Deus, &c.

ODE VIII.

Ab igne inextinguibili, ò Domine, libera me; qui te multoties ad iram meam insipientia concitavi, & pravis inimici suggestionibus cessi. Sed tu protege me intercessionibus Matris tuæ.

Terribile Tribunal tuum, ò Domine piissime, & supplicium jam præparatum est. Sed tu, ò Verbum, supplicationibus illius, quæ te castè ac sine semine peperit, te flectens, salva me.

O Domina Sanctissima, officina medicaminum, quibus dolores curantur, & murus recurrentium ad te, libera me a flamma, ac gehenna, atque à verme qui non mori-

ritur ; ut magnificem te.

ODE IX.

O Virgo pura, & thalami nescia, quæ Deum in utero tuo ineffabiliter concepisti ; & peperisti Filium, ante principium sine principio existentem : suscipe suspiria mea : suscipe lacrymas meas : & à flamma futura salvum me fac, ut glorificem te.

Quam plenum est horrore Judicium tuum, & quam terribilis est Thronus tuus, ò Amator hominum ! Acta autem mea mala superant arenam maris : sed tu, tanquam Amator hominum, salvum me fac servum tuum, supplicationibus Matris tuæ.

Receptaculum lætitiæ facta es, ò Immaculata : quippè quæ supernam vocem auribus excepisti. Propterea ad te clamamus, ò Castissima : Suscipe voces servorum tuorum, & offer eas illi, qui ex te natus est ; ut nos tanquam piissimus salvos faciat.

FE-

FERIA IV.
ad Veſperas.
STICHERA.
ECHUS PLAGII II.

APeri mihi portam pœnitentiæ: da mihi, ò Sanctiſſima, fontem lacrymarum: compunctionem, & cor prudens ac modeſtum concede mihi: te enim ſolam firmum mihi vendico patrocinium: omnem meam expectationem in te rejicio: ne repellas me pudore ſuffuſum: ſed ſuſcipe, & ſalva me, Domina, propter magnam miſericordiam.

Tu Caſta, Virgo es etiam poſt partum: ego verò, qui unus peccavi quantum nullus alius, procido ante te Deipara, obſecrans, & exclamans: Da mihi pœnitentiæ tempus ſupplicationibus tuis, ut ſuſpiriis ac lamentis defleam ea quæ feci; tuiſque interceſſionibus, ò Immaculata, indulgentiam peccatorum meo-

meorum accipiam, propter magnam misericordiam.

Passionibus ignominiæ succubui: servus peccati factus sum; & justum judicium formido. O Castissima, da mihi signaculum intercessionis tuæ, tormenti evasionem. Dissolve, ô Deipara, vincula peccati mei: potes enim, ô Benedicta, intercessione tua veniam impetrare mihi, propter magnam misericordiam.

CANON.
ECHUS PLAGII II.
ODE I.

Potestatem habes faciendi quæcunque vis: habes precibus tuis inclinatum Filium: habes fortitudinem, & robur, & auctoritatem, cui non potest contradici, ô Domina Deipara: propterea salvum fac servum tuum.

O Domina mundi, auxilium omnium,

nium, redemptio, ac salus hominum: tu libera à multiplicibus periculis, passionibus, & calamitatibus servos tuos, qui cum fide glorificant te.

Tu es patrocinium mundi, ò Virgo: tu es gloriatio Christianorum, ò Benignissima. Tu miserabilis animæ meæ præsidium, & robur, & gaudium, & redemptio esto: ò divina felicitate cumulatissima.

ODE III.

Aquis salutis irriga nos, Virgo Mater puella; eripiens ex tenebris, ac flammis ignis inextinguibilis famulos tuos, ò Immaculata; qui te Deiparam colunt, & glorificant.

Totus stigmatizatus verberibus delictorum meorum, ad te confugio, Dei Genitrix: & obsecro, ut tu eorum cicatrices aboleas, & salves me, divinamque mihi fortitudinem concedas.

Tu,

Tu, quæ creaturis omnibus dominaris, Dei Mater veneranda: me gravium delictorum, & actionum illicitarum servituti mancipatum, liberum fac ab iisdem, divina potentia tua.

O D E IV.

Desperans de salute mea, voces attollens exclamo, manibus sursum tensis: Miserere mei, Domina Mater Dei: tu esto mihi auxilium, atque defensio.

Tempestatibus innumerarum passionum & culparum comprehensus, cum lacrymis exclamo ad te, Domina casta: Tu divina gubernatione tua salvum me fac.

Terribilem disquisitionem in egressu animæ, & separationem tabernaculi allevans mihi, ò Virgo Mater Domina: fac me divinæ requiei, quæ in futuro erit, participem.

O-

ODE V.

Qui te Deiparam religiosè colunt, tanquam Dei Matrem, tuamque Imaginem salutant: tuis apud Filium precibus, fruantur illuminatione, & gaudio interminabili cum omnibus Sanctis, liberati ab igne & supplicio.

Secundum multitudinem miserationum tuarum, & viscerum pietatis tuæ, ò Pura: recurrenti ad te cum fide, tuamque intercessionem postulanti, culparum propitiationem, ac delictorum indulgentiam concede mihi, ò Deipara semper Virgo.

Me graviter desperatum libera, ò Virgo tota pura ac benigna, ab assiduis vitæ ærumnis, ac miseriis, & pressuris, dæmonumque invasionibus; & pœnitentiæ salutem, & fulgorem concede mihi.

ODE VI.

Coram te procido, tibique ſupplico, o Pura Domina mundi: infeſtos carnis appetitus, & mentis errores abole; dæmonumque pravas machinationes, & inſidias virtute tua prorſus dejice, ò Pura; & ſalva me.

Mentem meam cogitationum malarum obſcuritate contenebratam, & concupiſcentiarum caligine, ac delictorum tenebris obductam, illumina interceſſionibus tuis, ò Virgo Mater, quæ lucem divinam peperiſti: & ſubſiſtentem illuminationem pœnitentiæ, & gratiæ produxiſti mihi.

Dirige me ad ſemitas divinas, ò Mater Regis omnium; ex paſſionum, & peccatorum invio eripiens me, & deducens ad vitam immortalem. Tu enim omnium bonorum cauſa es, ſalus hominum, ſalvans ex corruptione, & ad ſalutem reducens.

CA-

CATHISMA.

ECHUS PLAGII II.

Dæmonum invaſionibus exagitatam miſeram animam meam, firma, ò Virgo, ſuper petram divinorum mandatorum Chriſti: ne me demergat, ò Pura, peccatorum tempeſtas, pravarumque cogitationum procella.

ODE VII.

Stabilem redde in petra voluntatum Creatoris mei, ò Domina pura, animam meam; & tempeſtatem rerum adverſarum, & paſſionum tumultum tranquilla interceſſionibus tuis; & divinam largire ſecuritatem & pacem.

Imbres mihi tribue lacrymarum, ò Domina Immaculata; maculas omnes animæ meæ, & voluptatum ſordes abluens: & munda me, repræſentans Creatori, & libe-

rans ab omni ſupplicio.

Te præſidium, & murum inexpugnabilem poſſideo, ò bona Deipara, per quam ab omnibus hoſtibus liberabor, & laqueorum victor apparebo, atque à ſempiterna horribili damnatione liber evadam.

ODE VIII.

O Virgo, quæ lucem Chriſtum peperiſti, lucidiſſimis tuis ſupplicationibus ac precibus reple luce inoccidua ſervos tuos, qui te religioſè collaudant: tua enim mediatio, & tuum patrocinium potens eſt ad ſalvandum quoſcunque voluerit.

Pericula Inferni difficillima, & tribulationes invenerunt me, & vehementes neceſſitates, ac labores, & graviter comprehenderunt me, & ad exitium deducunt. Ego autem auxilium tuum imploro, ò Virgo: tu me ab horum neceſſitate libera, & duc me ad veram certamque tranquillitatem.

Phalanges hostium contere potentia tua, ò Deipara benignissima, qui sine causa oppugnant me, & vehementer opprimunt tyrannide, & lætantur perditione mea: custodiens, conservans, & liberans me ab horum pessimo furore, infestaque calliditate, & vafricie.

ODE IX.

Penitus ex corde me ipsum tibi offero, & omnem solicitudinem meã repono in te. Per te delictorum redemptionem inveniam, precor: per te futuri Regni, & gloriæ particeps fiam, ò Dei Genitrix purissima.

Patrocinium, & protectionem, & spem, & murum, & refugium, & propitiationem, & redemptionem plurimorum delictorum, te ipsum concede, Piissime Domine; & à tentationibus, & periculis libera nos, Christe Verbum, per preces Matris, quæ peperit te.

O secura salus, ac firma spes, quæ

genus hominum cælificasti; & quæ divinam nobis domum produxisti, Deipara Virgo: salva nos à passionibus, ac periculis, igneque sempiterno.

FERIA V.
ad Vesperas.
STICHERA.
ECHUS PLAGII II.

PElagos amoris tui erga homines, & intimæ pietatis tuæ abyssos, & infinitas bonitatis misericordias ostende, ò immaculatissima Virgo, erga me miserabilem. Opprime peccati consuetudinem, dans mihi temperantiam. Custodi simul cum anima etiam corpus meum invulneratum, propter magnam misericordiam tuam.

Cælis latior es: Seraphim, & Thronis, atque omni re creata honorabilior & gloriosior, ò Pura. Concepisti enim, ò Pura, sine opera viri Dominum Universi: unde nos homi-

minum generationes, te pro debito honoramus, & glorificamus; quippè qui redempti sumus ab antiqua sententia per te, ò benedicta, ac tota pura & immaculata, propter magnam misericordiam tuam.

O Dei Sponsa, quæ es dux errantium, illuminatio versantium in tenebris, lugentium consolatio, portus naufragantium, solutio catenarum peccatorum, quæ me graviter adstringunt, donatio gratiarum cælestium, & munerum terrestrium: fac me participem intercessionis & tutelæ tuæ, propter magnam misericordiam tuam.

CANON. ECHUS PLAGII II.

ODE I.

Animæ meæ, turpium cogitationum illecebris obtenebratæ, nebulam dissolve, ò Domina Deipara purissima, luce sanctorum mandatorum illius, qui ex te incarnatus est.

Salvum me fac, ò Verbi Mater, propter viſcera plurimæ pietatis tuæ: ſalvum me fac ſperantem in te, & die ac nocte tutelam tuam, ò Caſtiſſima, invocantem.

Hei mihi, infelix anima mea! cur negligenter ac ſegniter omnem vitam tuam traducis? Accelera, pœnitentiam ferventer age, cum habeas auxiliatricem Dei Matrem.

ODE III.

Peccatorum meorum multitudo in profundum perditionis pertrahit miſeram animam meam. Propterea dextera tua, ò Deipara, educ de corruptione vitam meam.

O Virgo, quæ Filium amatorem hominum Deum peperiſti, libera me inutilem ſervum tuum in hora tremendi adventus Chriſti ab omni damnatione.

Concede mihi, Puriſſima Domina, interiorum lacrymarum fluenta perennia, quibus miſeræ animæ meæ

cogitationes abluam, & liber evadam à flamma sempiterna.

ODE IV.

Me prodigum illum, qui super omnes homines Filium tuum, ò Virgo Deipara, ad iracundiam provocavi: libera à tormentis æternis, & salva me.

Domine, tu solus nosti multitudinem delictorum meorum: tu quippè scrutaris corda, Domine. Propterea precibus Matris tuæ, dignum me fac compassione tua.

Spes, & firmamentum, & exultatio animæ meæ, & illuminatio ejus es, ò Domina tota immaculata. Quamobrem laudo & glorifico plurimam bonitatem tuam.

ODE V.

Divino splendore tuo, ò Benignissima, illumina animam meam, vitæ calamitatibus, & malarum cogitationum nigredine obtenebratam: tu

quippè es porta lucis inaccessibilis:

Infirma atque ægra jacet mens mea, assiduis Adversariorum assultibus exagitata: quam tu, in petra voluntatum Christi stabilem redde, ò Deipara, ut glorificem te.

Lacrymarum fontes requiro, & cor contritum, ò Domina felicitate divina cumulatissima, ut delicta mea deflere possim, & in hora Judicii invenire salutem.

ODE VI.

Miserere, Domina Mater Dei, infelicis animæ meæ, passionibus, ac turpibus cogitationibus inquinatæ: & in die Judicii ab omnibus pœnis libera eam.

Dele multitudinem peccatorum meorum multitudine misericordiæ tuæ: & tanquam benigna, salvum fac servum tuum ad te confugientem, & cum fide intercessionem tuam postulantem.

Respice, Domina, ad me misera-

bi-

bilem; & præter ſpem ſalva me: tu enim es ſpes & protectio mea, & vita ac lumen cordis mei, & firmamentum illius, ò Deipara.

CATHISMA.

Infirma eſt nunc mens mea, in profunda adverſantium cogitationum prolapſa; nec requiem invenio. Exaudi me, tanquam Benigniſſima, in tempore tentationum: & refrigerium largire mihi, ò ſola benedicta; ne peſſimorum dæmonum cibus evadam.

ODE VII.

Dolens confugio ad te, ò omni laude digniſſima; & poſtulo miſericordias tuas: ne deſpicias me jacentem in tenebris paſſionum, & peccatorum; ſed miſerere mei, ò Caſta, & ad lucem mandatorum Chriſti deduc me.

Die ac nocte invoco, ò Domina benedicta, & obſecro te, ut indul-

gentiam multorum peccatorum largiaris mihi; ut cum gaudio glorificem & collaudem viſcera miſericordiæ tuæ.

Perniciosè advenit ad me Fraudolentus, quærens dilaniare miſeram animam meam. Contere dentes illius, ò Dei Mater, & ſalva me, ut laudem & adorem viſcera miſericordiæ tuæ.

ODE VIII.

O anima mea, cur tranſigis in plurima ſocordia vitam tuam? Ingemiſce, lacrymare, donec pœnitentiæ tempus eſt tibi; ne te apprehendat hora mortis.

Me ipſum defleo ante exitum meum, recogitans mala & gravia opera mea, turpeſque cogitationes meas. Libera, ò Laudabiliſſima, à gehenna animam meam deſperatam.

O Domine, cum veneris in gloria ad judicanda univerſa; conſtitue me peccatorem ad dexteram tuam,

intercessionibus Matris tuæ; ut te per omnia sæcula glorificem.

ODE IX.

Me prodigum illum, ac damnatum miserare, tanquam Benigna; & in hora supremi examinis eripe ab omni supplicio; ut te magnificem; ut te, quæ post Deum refugium meum es & præsidium, glorificem.

Spes, & protectio, & exultatio fidelium es tu, ò Deipara purissima: propterea misericordias tuas postulo: illumina animam meam, & à tenebris plurimorum peccatorum, & pravarum cogitationum libera illam.

Libera me, ò Deo gratissima, tanquam Benigna, ab igne gehennæ, & à tenebris exterioribus, & in loco lucido constitue me, ut te magnificem, ut te glorificem, ut tuam benignitatem lætanter collaudem.

FERIA VI.
ad Vesperas.
STICHERA.
ECHUS PLAGII II.

O Verbum, quod lucem tuam mundo facis oriri; obtenebratam animam meam illumina, precor, luce mandatorum tuorum: tibi enim, ò Dei Verbum, offero Matrem tuam intercessoris partes agentem. Suscipe illius preces; & indulgentiam mihi concede; & miserere facturæ tuæ, quam acquisivisti pretioso Sanguine tuo, Domine, propter magnam misericordiam.

Vide tribulationem meam, & dolorem meum, immensamque meorum peccatorum multitudinem, & animæ meæ afflictionem, mentisque errorem. Audi vocem desperati ac damnati; da mihi spiritum contritum, & cor humiliatum: concede mihi fontes lacrymarum, multorum-

rumque criminum indulgentiam; propter magnam misericordiam.

Peccatis redargutum, ac damnatum, iniquitatibus maculatum; Dei mandata aspernatum, vide, Deipara, & ne projicias me à facie tua: tu enim spes mea es, & patrona mea: propterea intende precibus meis; & ab omni macula emunda me propter magnam misericordiam.

SABBATHO ad Vesperas.

CANON. ECHUS BARYS.

ODE I.

Vitæ meæ prævidens instàntem finem, ò Domina, exclamo: Tu mihi precibus tuis delictorum tribue indulgentiam.

Ad tuæ benignitatis pelagum accurri, exclamans: O Deipara benignissima, ab omni supplicio libera me.

Suscipe nos, Domina, confugien-

gientes ad te cum fide: & calamitatum, ac tentationum liberationem concede.

ODE III.

O Immaculata, quæ Deum ac Dominum ineffabiliter concepisti: tu me ab hominibus peccatoribus corruptum redime, & salvum me fac.

Me enormium delictorum nocte occupatum, pœnitentiæ splendore illumina, ò Puella; tribuens mihi semper opera lucis efficere.

O Deipara, quæ Panem cælestem peperisti, qui nutrit omnium fidelium corda: satia infelicem animam meam, esuriè laborantem.

ODE IV.

Ingemiscentem coram te, Domina, & impensè ex animo clamantem, ne despicias me; neque pudore suffundas me.

Combure spinam voluptatum carnis, infixam miseræ animæ meæ, ò Do-

ò Domina, quæ Numen genuisti.

Concede mihi delictorum remissionem, ò semper Benedicta, ac Veneranda: & redime me à pœna horribili ac sempiterna,

ODE V.

Ferventium lacrymarum fluenta concede mihi, ò Immaculatissima; quibus & pessimas animæ meæ infelicis sordes, & carnis flagitia abluere possim.

Similis factus sum ego infelicissimus jumentis insipientibus, serviens irrationabilibus passionibus miseræ carnis meæ.

Tu mihi remissionem ac veniam concede, ò Deipara: miserere mei, qui supra omnes homines lapsus sum; & ad protectionem tuam solicitam confugio: & à supplicio eripe me, ò Virgo Deipara.

ODE VI.

Coarctat me peccati tempestas, ò Vir-

ò Virgo; & ad deſperationis exitium impellit: ſed tu extende mihi validam auxilii manum; & ſalva me.

Oleum ferventis patrocinii tui effunde ſuper me, ò Deipara: & à peccatis libera me; & eripe ab igne ſempiterno.

O Virgo, quæ partu tuo immaculato Evam à doloribus ſolviſti; ſolve dolores afflictionum vitæ, & corporis mei.

CATHISMA.

Libera ab igne æterno adorantes partum tuum: te enim conſtituit Chriſtus patrocinium nobis, qui te collaudamus.

ODE VII.

Peccatorum meorum multitudo juſtam ſententiam mihi comminatur. Procido, ò Veneranda; & exclamo ante te: Ante finem meum propitiationem concede mihi; & correctionem per lacrymas compunctionis largire mihi.

Me

Me delictorum pravitatibus graviter ægrotantem, & ad desperationis sepulchrum propè adactum; tu, ò Purissima & Immaculatissima, quæ vitam omnium peperisti, divinis actionibus vivifica.

O Dei Genitrix pura, eos qui gratiam tuam, quæ vitam donat æternam, cum fide implorant, eripe à morte spirituali; & dignos fac Regno per tuas preces venerandas.

O D E VIII.

Fornax passionum comburit me; ò Virgo, & voluptatum igne consumit. Tu præveniens, extingue illam rore compassionis tuæ: & concede animæ meæ altissimum refrigerium.

Filium, quem peperisti, supplex precare, Puella; ut salutem demittat iis, qui te cum fide venerantur.

Celerem liberationem concede nobis, ò Benignissima: & solve nos à peccatis; ut te collaudemus.

ODE IX.

O tota fulgida Virgo, Mater Deipara: animam meam miserabilem, graviter passionibus carnis obtenebratam, luce intercessionum tuarum ad timorem Dei illumina.

Desperavi de mea salute propter multitudinem peccatorũ meorum; & consilii & auxilii inops factus sum. Tu, Domina omni laude dignissima, beneficentiam tuam, & misericordiam tuam ad me demitte.

Ne cesses interpellare pro mundo ò Sanctissima, Deum & Regem ex te incarnatum; ut liberentur ab igne æterno servi tui; ut te semper omnes magnificemus.

DOMINICA ad Vesperas.

STICHERA.

ECHUS BARYS.

PEccatorum meorum multitudinem delens, ò Deipara; dignum

gnum me fac ſalute;ut glorificem te.

Ne deſpicias me jacentem in lecto negligentiæ, ac pereuntem: ſed velociter præveni, & ſalva me.

Miſerere, ò Immaculatiſſima, animæ meæ, & à ſupplicio libera eam: te enim habeo mediatricem, a propugnatricem.

CANON.

ECHUS BARYS.

ODE I.

O Virgo, quæ pietatis abyſſum peperiſti: illumina animam meam lucifero ſplendore tuo,ut dignè laudare poſſim abyſſum mirabilium tuorum.

Intuens nos Verbum, peccati jaculis vulneratos; tanquam beneficum miſertum eſt noſtri: quamobrem ineffabiliter unitum eſt carni aſſumptæ ex te, ò Caſtiſſima, cum ſit ſupremus Deus.

Hominum natura, infirma & cor-

rupta facta est, in potestatem mortis redacta. Tu autem, Domina, vitam concipiens, eandem ex corruptione ad vitam reduxisti.

O D E III.

Draco ex Edem serpendo dilapsus me divinitatis desiderio adescatum, atque illectum dejecit in terram. Sed ille, qui in utero tuo habitavit, ò Virgo Mater, & similis factus est mihi; tanquam compatiens, & natura pius misertus mei deificat me.

Benedictus fructus ventris tui, ò Virgo Deipara, gaudium omnium: gaudium enim, & veram lætitiam universo mundo peperisti, dissipans peccati tristitiam, ò Dei Sponsa.

Vitam æternam, & lucem, & pacem hominum veterum, & pactum, ac societatem gratiæ peperisti nobis, ò Dei Genitrix Virgo, dissipans per fidem bellum adversus Patrem & Deum.

ODE IV.

O Immaculatiſſima, quæ ante creationem, tota electa ac pulchra Deo apparuiſti: luce abundantiſſimi luminis tui illuſtra eos; qui te collaudant.

Deum hominibus, ò Caſta, peperiſti incarnatum ex puriſſimis ſanguinibus tuis; qui redemit à gravibus delictis eos, qui cum affectu venerantur & colunt te, ò Auguſtiſſima.

Sacris operatur rationalis natura ei, qui ſupra mentis captum ex te, ò Virgo, proceſſit; ineffabile Conceptionis tuæ myſterium nunc edocta: ò omni felicitate cumulatiſſima.

ODE V.

Scalam intuitus Jacob ad ſummitatem ſuffultam; imaginem, quæ te innuptam referebat, eſſe cognovit. Per te enim Deus cum hominibus converſatus eſt, ò Caſtiſſima Domina.

Re-

Redemptionem æternam per te, ò Virgo, nunc consequuti, alacriter clamamus ad te: Salve Domina: & tua luce exhilarati, ò Immaculatissima, te nunc hymnis concinimus.

Solam te, ò Virgo, lilium in medio spinarum, castitatis nitore, & virginitatis luce fulgentem, Spōsus inveniens, admittit te ad se, ò Sponsa undequaque purissima.

ODE VI.

Legales figuræ, ac Prophetarum vaticinia manifestè prænunciabant, te, ò Purissima, parituram Benefactorem: omnium creaturarum, qui multifariam multisque modis beneficum se præstitit illis, qui te fideliter laudant.

Exulantem olim Adam protoplastum, ob insidias Homicidæ, à divinis Paradisi deliciis; tu iterum restituisti, ò Innupta, pariens illum, qui nos à transgressione liberavit.

Qui

Qui voluntate divina, & potentia creatrice, universa ex iis quæ non sunt, produxit: ex utero tuo, ò Purissima, processit: & eos, qui in tenebris mortis versabantur, divinissimi Principatus fulgoribus illuminavit.

CATHISMA.

ECHUS BARYS.

In negligentia vitam meam transigens, timeo infelix horam exitus mei. Tu, ò Immaculatissima, salva me.

ODE VII.

Te, ò Virgo, habentem ornatum deauratum, & circumdatum varietate, dilexit Creator tuus, & Dominus patrum superexaltatus in sæcula.

Purgatus est olim Isaias, ò Puella, carbonem accipiens: symbolicè autem contemplans partum tuum.

Superexaltatus Deus patrũ in ſęcula.

Omnes divini Prophetæ, divini partus tui ſymbola intuentes, cum gaudio exclamabant, dicentes: Superexaltatus patrum Deus in ſæcula.

ODE VIII.

Splendore partus tui, miro novoque modo, illuminaſti, ò Dei Genitrix, orbem terrarum: geſtaſti ulnis tuis Deum verum, luce perfundentem eos, qui cum fide ſemper clamant: Omnïa opera, &c.

Piè ac devotè laudamus, ò Puriſſima, uterum tuum, qui comprehendit ineffabiliter incorporatum Deum, qui divinæ ſcientiæ illuminationem tribuit omnibus fidelibus aſſiduè clamantibus: Omnia opera, &c.

Lucis tuæ ſplendoribus, eos qui te collaudant, lucidos redde, ò Puella lucis Genitrix, Deipara puriſſima; & tribue ſolutionem malorum, illuminans eos qui ſemper clamant: Omnia opera, &c.

ODE

ODE IX.

Gaudii nobis æterni, & lætitiæ Conciliatrix facta es, ò semper Virgo Puella; gestans in utero Redemptorem, in sinu paterno residentem; quem fideles incessanter magnificant.

Psallens David tuus Propheta, ò Castissima: Arcam te divinæ sanctificationis nominavit, continentem supernaturaliter Deum; qui in veritate, & spiritu divino se colentes tanquam Deum, redimit.

Quàm verè sublimior facta es omni re creata, ò Puella! Omnium enim Creatorem corporaliter nobis genuisti: unde tanquam solius Domini Mater, super omnes palmam fers, ac victoriam.

FERIA II.

ad Vesperas.

STICHERA.

ECHUS BARYS.

TRibulationes cordis mei multiplicatæ sunt, ò Deipara: tu

miserere mei, & ab iliis quantocyus libera me.

Propitiare mihi, & salva me, ò Deipara: te enim Patronam habeo, quæ pudore non suffunditur: ò sola omni laude dignissima.

O Immaculata, quæ illum qui solus sine peccato est, peperisti: concede mihi veniam eorum, quæ in vita deliqui.

CANON.
ECHUS BARYS.

ODE I.

Ordines transcendisti incorporeorum Angelorum, corpore vestiens Deum incorporeum: unde te supplex oro, ò Purissima Virgo, ut omnes corporis mei passiones mortifices.

O Virgo, gratia plena, ac benedicta: mentem meam imple gratia, & illustra animam meam, ut semper benedicam te, quæ benedictionibus humanum genus coronasti.

Fluentis vitalibus irriga, ò Virgo,

go, animam meam, peccati calore liquescentem: ut divinæ compunctionis spicam fructiferam germinare possim, ò Purissima.

ODE III.

Tribunal horribilem & tremendum manet me peccatorem, in quo terribiliter judicandus sum. O Virgo pura, quæ sola Judicem æternum Deum peperisti, ipsum deprecare; ut tunc me liberet à gravi supplicio.

Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei, quemadmodum dixit Propheta. Ipsum ergo, tanquam Dominum gloriæ deprecare, ò Casta, atque unicè benigna Dei Sponsa, ut participes gloriæ efficiat omnes laudantes te.

Divinorum ille elocutor prævidit te olim sub figura Voluminis, in quo Verbum vitæ digito Dei scriptum fuit. Deprecare ergo, ut in libro vitæ ego scribi possim, rescisso per te pessimo libello peccatorum meorum.

ODE IV.

Unguentum ex te, ò Pura & Immaculata, effusum, naturæ scilicet conditor, suavi divinæ cognitionis odore universa replevit, & graveolentem depulit errorem.

Umbræ legis, & divina Prophetarum eloquia, mysticè ostendebant te legis datorem perituram. Propterea salvum fac, ò Dei Mater Puella, me, qui te collaudo.

Qui ex utero tuo, ò Immaculata, exortus est; divinis solaribus splendoribus terminos Orbis illuminavit. Propterea illustra me passionum tenebris offuscatum.

ODE V.

Irruit in me Malignus cum lethali vulnere; & totum plagis confossum, semimortuum reliquit. At tu Chirurgia tua medere mihi, & salva me, Domina.

O confractorum infrangibilis redin-

dintegratio, Deipara: erige mè dejectum, & salva pereuntem maternis precibus tuis; & mentem meam, precor, illumina.

Symbolis partus tui Prophetarum cætus initiabatur. Per montem enim umbrosum: per montem lapicidæ manu non tactum: per certum quendam montem coagulatum, diversimodè te manifestè notabant.

ODE VI.

Figuravit Jonas mirabilitèr à marina bellua profectus, illius qui ex te, ò Virgo, natus est, sepulturam, & resurrectionem. Unde te exoro, ò Castissima, ut me à bellua mortiferarum voluptatum eripias.

A malitiæ dormitatione nunc occupatus, in peccati somnum delapsus sum, ò Purissima: & desperationis tenebris contegor. Sed tu, ò Castissima, vigilantibus precibus tuis illumina, exsuscita, & salva me.

Hæreo inops, ac tremo, quando

te, Domine, ſuper thronum gloriæ ſedentem recogito: peccátorum enim abyſſo undequaque circundor. Cum ergo pelagum pietatis habeas, per eam, quæ te, Chriſte peperit, miſerere.

CATHISMA.

ECHUS BARYS.

Sub protectionem tuam, ò Immaculata, omnes terrigenæ confugimus: Libera, ò Benigniſſima, ab igne æterno animas noſtras.

ODE VII.

Per ligni guſtum me plagatum curaſti, Domine, plagas ex ligno ſuſcipiens, impaſſibilis quoad Divinitatem. Per illius, quæ te peperit, ſupplicationem, ſalva miſerabilem animam meam.

Tres pueri adoleſcentes in medio Fornacis, partum tuum præfigurarunt: cum enim ignem conceperis, non es combuſta. Propterea mate-

rialis cordis mei passiones medica manu cura: ò Purissima.

Ros divinus ex te proveniens, ò Immaculatissima, peccati ardore liquescentes irrorat. Propterea te supplex deprecor, ut animam meam liquefactam irrores.

ODE VIII.

Divino afflatus numine prævidit te olim, ò Casta, Prophetarum maximus, sub figura portæ, per quam intravit, & exivit Deus; sigillatam illam relinquens; & quæ Cæli portas aperit clamantibus: Omnia opera laudate Dominum.

Dirumpe nunc malorum meorum vincula, divina lancea Filii tui, qui Inferni catenas disrupit: & vestibus impassibilitatis exorna me, ò Deo carissima; ut possim exclamare: Omnia opera laudate Dominum.

Supra causam Filium Sanctum paris, ò Purissima; qui se sanctificantibus, sanctificationem donat.

Propterea imple ſanctificationē mē-tem, atque animam meam canentem: Omnia opera laudate Dominum.

ODE IX.

In negligentia vitam meam abſumpſi; & ad finem, miſer, ſine fructu perveni. O Mater neſcia viri, pœnitentiam mihi, & peccatorum remiſſionem concede, interceſſionibus tuis apud Dominum; ut te glorificem.

Venerandi ſupernarum Poteſtatum Chori, Sacrorum Miniſtri, Prophetæ Martyres glorioſi, Apoſtoli divini, una cum Deipara adſtantes Deo, intercedit aſſiduè pro nobis; ut ab omni malo liberemur.

Filium beatum, ſola Deo cariſſima, peperiſti; qui univerſos, te, ò Virgo, glorificantes, facit eſſe beatos: propterea te ſupplex oro, ut te beatificantium parte me dignum efficias.

FERIA III.
ad Vesperas.
STICHERA.
ECHUS BARYS.

MUltorum criminum profundum tempestate obruit cor meum. O tota Immaculata Deipara, festina: & salva me.

Pacifica, ò Dei Sponsa, animam meam, & fluctus tranquilla passionum mearũ; ut te glorificare possim.

O Deipara, quæ illum, qui solus misericors est, peperisti: me per singulos dies peccantem, dignum fac pietate & compassione tua.

CANON.
ECHUS BARYS.
ODE I.

Siste tempestates voluptatum & passionum mearum aura divinæ intercesiionis tuæ, ò Innocentissima; ut cum tranquillitate cordis glorificem ineffabilem partum tuum.

Totus desiderabilis, & plenus dulcedine salutis, apparuit partus tuus, ò Dei Genitrix Domina; repellens à servis tuis omnem amaritudinem, ex passionibus & peccatis provenientem.

Libera me, ò tota Sancta & Immaculata, à dæmonum seductione, malignitate, nocumento, atque invasione; ut cum fide glorificem te meam, post Deum, tutelam ac patrocinium.

ODE III.

Illum, qui in Cruce exaltatus fuit & ad Inferos descendit, impensè deprecare, ò Deipara, pro iis, qui fideliter sacris canticorum vocibus semper collaudant te, mundi spem, & fidelium defensionem.

Sublimior Cælis, & Cherubim superior, Deum concipiens, facta es: ideo te suppliciter obsecro, ut à peccatis, atque ab horribili damnatione, piissimis precibus tuis, tuaque ineffabili potentia liberes me.

Tu, quæ homines à corruptionē mortis liberaſti partu tuo; libera mē Domina, à corruptione paſſionum, ac morborum, graviumque delictorum: & vitam, quæ nunquam ſeneſcat, largire mihi divinis interceſſionibus tuis.

ODE IV.

Expande, ò Auguſta, compaſſionem ac benignitatem tuam ſuper ſervos tuos, aſſiduè invocantes te; liberans eos ab horrendo ſupplicio interceſſionibus tuis.

Sincera fide ac ferventi ad te recurro, & exclamo: O tota immaculata, tu eſto mihi propitiatorium, à multis peccatis me redimens, & ſalvum faciens.

Gaudii nobis conciliatrix facta es, ò Domina veneranda, per partum tuum: ideo cum fide te precor, ut me gaudii futuri dignum efficias patrocinio tuo.

ODE V.

Tu, ò Impolluta, quæ mundi Salvatorem Christum sine semine concepisti: ipsum deprecare, ut me salutis æternæ dignum efficiat.

Te deprecor, ò Virgo pura, ut à peccatorum tenebris liberes animam meam: & per pęnitentiam illumines me divino splẽdore misericordiæ tuę.

Eos, qui in pelago infestarum tentationum, difficiliumque passionum versantur, libera, ò tota sancta & immaculata; & salvos fac intercessionibus, ac precibus tuis, ut te glorificare possint.

ODE VI.

Filium tuum in Cruce exaltatum, qui homines à corruptionẽ liberavit; deprecare, Domina, pro nostra salute.

O Domina ab omni macula immunis, ne derelinquas me sperantem in te; sed accelera adjutorium tuum.

Libera à tribulatione eos, qui invocant divinum nomen tuum: & ab horrendo ſupplicio fac eos immunes.

CATHISMA.

In negligentia meam vitam miſer abſumens, futurum Judicium formido, ex quo libera me, & ſalvum me fac, ò ſummè laudabilis.

ODE VII.

In inopia ac tribulatione poſitus; atque in periculis verſans; ferventer ex corde meo te invoco, ô Immaculatiſſima. Præveni, & libera me, ò Pura; & alacritatem ac jucunditatem concede mihi.

Peccatorum multorum tempeſtates undis obruunt me, & in profundum perditionis deducunt. Da mihi dexteram, Domina, & ſalva me potentia tua.

Matrem tuam offero tibi, ò Verbum, ego infelix, ad intercedendum pro me: quam tu ſuſcipiens, à

pec-

peccatis, futuroque Judicio, atque à supplicio æterno libera me.

ODE VIII.

Salvum me fac, ò Castissima, à corruptione, periculis, ac passionibus: ad te enim confugio spem meam, divinumque præsidium.

In hora mortis ab accusantibus me dæmonibus eripe, Domina: & deduc me ad divinam habitationem.

Resipisce, anima mea, procidens ante Deiparam, & exclama: O spes & salus omnium, ab igne æterno libera me.

ODE IX.

Offert tibi, Domine, Deipara preces pro me: quas tu suscipiens, à supplicio libera me.

Assiduè tibi supplico, ò Domina: A futura damnatione, & pœna redime miseram animam meam.

Deprecare, ò Virgo, Factorem & Creatorem meũ, ut me à terribili Judicio liberet; & vitæ gratiã largiatur.

FE-

FERIA IV.
ad Veſperas.

STICHERA.

ECHUS BARYS.

MUlti ſunt, qui oppugnant me ab alto, & tribulant cor meum. O Deipara, ab his redime me.

In medio laqueorum diaboli deprehenſum, ac pereuntem; eripe me, ò Caſtiſſima Domina.

In hora exitus mei libera me, ò Deipara Sanctiſſima, à laqueis Crudelis, & ſalvum me fac.

CANON.

ECHUS BARYS.

ODE I.

Te, meæ ſalutis, divinæque redemptionis cauſam rogamus, ò Immaculata, ut intercedas pro nobis, ut ſalvemur.

Totus poſitus in gravibus tenta-

tio-

tionibus, necessitatibus, ac delictis; clamo ad te, ò omni laude dignissima: Salvum me fac servum tuum.

Te & Virginem puram, & Creatoris Matrem deprecamur, ut ab omni demonum vexatione liberes nos.

ODE III.

Exitialem malitiæ semitam ingressus, non inveni salutis meæ viam, ad quam tu dirige me, ò Domina immaculatissima.

Fortitudinem, & robur, & auxilium, & spem, te solam mihi vendico, ò Integerrima. Tu esto patrocinium meum in tempore resolutionis meæ.

Assiduè te deprecor, ò Innocentissima, ut in hora mortis meæ assistas defensioni meæ, & à supplicio redimas me in die Judicii.

ODE IV.

Præcepta transgrediens Domini mei, hostibus ad capiendum facilis ap-

apparui. Tu Domina, libera me.

In hora mortis meæ libera me, ò Immaculatiſſima: & à dæmonibus ſalvam fac miſeram animam meam.

A mortis nexu ſolve me, Domina: & eſto mihi vitæ conciliatrix æternæ, interceſſionibus tuis.

ODE V.

Domina Virgo beatiſſima, portus eorum, qui gravibus turbantur procellis, & ſalutaris porta eorum, qui per fidem ſalvantur: ſalvum me fac ſervum tuum.

Multæ miſericordiæ tuæ, ò Virgo Deipara, copiosè oſtendantur erga me ſervum tuum, liberantes me ab horribili ſupplicio futuro.

Nox immundarum paſſionum occupat animam meam, & in perditionis chaos demittit eam. Sed tu interceſſionis tuæ luce ſalvum me fac, ò Mundiſſima.

ODE VI.

Te ſtabile in tentationibus præſidium;

dium: securam in tribulatiooibus salutem; in mœroribus refrigerium; in periculis auxilium habeo, ò Virgo perpetua.

Tu custos totius vitæ meæ facta es, ò Virgo Maria: tu me à dæmonibus libera in hora mortis: tu etiam in Judicio post mortem futuro.

Tu es decor venerandorum Sanctorum Angelorum: tu omnium mortalium gaudium, ò semper Virgo Deipara: tu in vitam deduc me.

CATHISMA.

ECHUS BARYS.

Quis enarrabit, ò Inviolata, peccatorum meorum multitudinem? Tu, quæ intimæ pietatis pelagus es, propitia esto mihi, & salva me.

ODE VII.

Multitudinem peccatorum mente revolvens, in desperationem cado, ò Virgo summè immaculata: ideo clamo ad te: Adjuva me, ne peream in finem.

Es-

Eſſentialis vitæ Matrem te, ò Pura, agnoſcens; exclamo ad te: Ab animæ morte redime me: & dignum me fac vitæ æternæ.

A periculis, paſſionibus, morbis, ſuppliciis, erroribus vitæ, & igne æterno redime, ò Innocentiſſima, eos qui te cum fide, & canticis honorant.

ODE VIII.

Totam ignavè conſumpſi ego infeliciſſimus vitam meam: & nunc conſilii auxiliique inops hæreo, fini jam propior. O Domina adjuva, adjuva me.

Refugium peccatorum, & erectio proſtratorum es, ò Domina: propterea accurro ad protectionem tuam: ſalvum fac me.

Tanquam vigilantiſſimam interceſſionem habens pro mundo, ò Domina omni carens macula: à futuro Judicio redime eos, qui cum fide Imaginem tuam honorant.

O-

ODE IX.

Illi, qui ſub miſericordiam tuam cum fide confugiunt, ab anguſtiantibus vitæ periculis liberantur. Ideo & ego ad protectionem tuam accurri, ò Deipara.

O Puriſſima, validum patrocinium, & inexpugnabile robur: Libera me ab anguſtiis, paſſionibus, peccatis, & igne ſempiterno.

Illuminantibus horroribus Verbi ex te exorti, ò Virgo pura, illuſtra; & ſalva me, utpotè Benigniſſima, & eripe me à ſupplicio.

FERIA V.
ad Veſperas.

STICHERA.

ECHUS BARYS.

SErpens tentat me à juventute mea & blanditiis allicit ad perditionem. O Deipara, ſalvum fac ſervum tuum.

Vi-

Vita mea peccatis repleta, in desperationem nunc me dejicit: sed tu salvum me fac, ò Sponsa Dei.

Tempus pœnitentiæ, & peccatorum veniam concede mihi, ò Pura: & à futuris pœnis libera me.

C A N O N.

ECHUS BARYS.

O D E I.

O Domina Deipara, libera eos, qui in te confidunt, & ad te recurrunt, à periculis, angustiis, & lapsibus, & à flamma, supplicioque sempiterno.

Rore intimæ pietatis tuæ, ò Virgo Sanctissima, extingue flammam peccatorum meorum, ne deveniam ad flammam totius damnationis, atque ignis futuri.

Fac, ut pluant super me, ò Virgo, stillæ misericordiæ tuæ; qui concupiscentiarum ardore assiduè comburor: ut à passionibus liber,

na-

natum ex te Deum & Salvatorem meum glorificem.

ODE III.

Te deprecor, ò Virgo pura, ut animæ meæ ſalutem concedas: & propitiationem, atque uberem gratiam (utpotè potens, benigna, atque hominum amica Puella) tribuas: & dignum me facias vitæ immortalis.

O Virgo caſta, vera ſalus & patrocinium mundi, quæ Creatorem peperiſti: redime eos, qui tuas laudes cum fide concinunt, à periculis & tentationibus vitæ, & à damnatione ſempiterna.

Impensè precamur miſericordias tuas, ò Deipara: ne deſpicias humiles ſervos: ſed tanquam Benigna, oculo propitio & amico reſpicias nos; & ab intolerabili Diaboli tyrannide redimas nos.

ODE IV.

O Dei Mater, libera me à corruptio-

ptione, ac tyrannide Draconis fraudolenti, qui assiduè invadit & supplantat gressus, qui sunt secundum Deum.

O Porta vitæ semper aperta; pœnitentiæ portas aperi mihi: nunc enim portis desperationis, ob multa mea errata, miser appropinquavi.

Lutum passionum & concupiscentiarum excutiens à me, ô Veneranda & Pura: compassione tua mundum redde me, & fulgenti stola gratiæ indue me.

ODE V.

Verbum omni bonitate superius deprecare, ò Puella immaculatissima, pro salute nostra: te enim patronam, & validum in necessitatibus auxilium habemus.

O Deipara purissima, quæ in utero tuo virginali Deum concepisti, eumdemque peperisti: libera eos qui te laudibus celebrant, ab omni damnatione æterna.

Ani-

Animarum, corporumque nostrorum morbo laborantium, medicatricem te, ò Pura, producimus. Medere, ò Pura, infirmitatibus hominum, utpotè hominum amica.

ODE VI.

Decoris & pulchritudinis ornatu, quem per baptiſmum acceperam, perdidi, ò Domina, turpia committens & indecora. Tu autem ferventi patrocinio tuo hæc mihi reſtitue, qui te cum fide honoro.

A miſeria, ac premente neceſſitate, & tribulatione libera me, ò Deipara; jucunditatem tuam concedens mihi: aliud enim patrocinium non habeo: propterea ab igne perpetuo libera me.

Redemptorem, & Salvatorem, & bonorum datorem enixa: potes, & vales, ò Puriſſima, quæcunque vis; & quæcunque vis, facis. Unde te rogamus nos ſervi tui, ut à paſſionum confuſione liberes nos.

CA-

CATHISMA.

Dominum, omnibus præditum miſerationibus, pro nobis deprecare, ut ab omni Serpentis laqueo liberet animas noſtras.

ODE VII.

Peccatorum multitudo comprehendit me, & ad exitium diffidentiæ & deſperationis deducit me. Præveni, ò Deipara: & auxilium tuum præbe mihi.

Libera me ab omni hoſtium malignitate, impetu, & tribulatione: & in pace ac tranquillitate conſerva, Domina, animam meam; ut cum gaudio laudare poſſim patrocinium tuum.

Malorum operum meorum damnationem prævideo, infelix. Sed clamo ad te de profundo cordis mei: O Sanctiſſima Domina, tu eſto mihi defenſio, & ſalva me.

ODE VIII.

Esto, ò Virgo Sanctissima, auxiliatrix mihi, ad te recurrenti, & cum fide exclamanti: Miserere, ò Benignissima: & ante finem, propitiationem peccatorum meorum concede mihi, ut exclamare possim: Dominum laudate, &c.

Horror me gravis invadit; recogitantem tremendum Judicium, & Judicem inexorabilem iis, qui prava perpetraverint; qualia ego verè infelix perpetravi. Unde exclamo ad te, Virgo Sanctissima: Salvum me fac ad te solam confugientem.

O causa salutis mortalium. O fida fidelium propugnatrix. O peccatorum propitiatorium. O fons omnis honestatis, ac bonorum suppeditatio, Dei Genitrix purissima. Ad te clamo: Dominum benedicite, &c.

ODE IX.

Sub tuam protectionem nunc confu-

fugi, ò Virgo. Ob multitudinem peccatorum periclitantem ac pereuntem, ſalva me tu, quæ Salvatorem & Creatorem peperiſti: & à damnatione æterna libera me.

Factorem, & Deum ac Dominum, qui ex puriſſimis ſanguinibus tuis incarnatus eſt, exora nunc, ò Sanctiſſima, ut deſperati populi miſereatur; & pietatis ſuæ nobis viſcera aperiat.

Ab igne inextinguibili, ac tenebris exterioribus atque à fletu æterno libera me damnatione dignum, ò Sanctiſſima Virgo, per ferventem interceſſionem tuam apud Dominũ.

FERIA VI.
ad Veſperas.

STICHERA.

ECHUS BARYS.

OFfer preces ſervorum tuorum Dominatori omnium creaturarum, ò Sanctiſſima Virgo: ut

salvos faciat omnes quos plasmavit.

Ad multitudinem misericordiæ tuæ confugio nunc, ò Deipara. Absolve delicta mea, ut possim te glorificare.

Lacrymarum mihi fontes concede, & à supplicio æterno libera me: ò sola omni laude dignissima Puella.

SABBATHO
ad Vesperas.

CANON. ECHUS PLAGII IV.

ODE I.

IN te, ò Virgo, spem salutis meæ repono. Ablue me totum à sordibus peccatorum:& mundum effice placentem Filio &Deo tuo,& facientem sanctissimam voluntatem illius.

O Dei Genitrix cum liberam habeas confidentiam apud Verbum Unigenitum natum ex te, coæternum Patri: deprecare eum, ò Immaculatissima; ut ab universa dæmonum vexatione, & ab igne, omni-

nique pœna liberet animam meam.

O Virgo, ignea luce coruſcans: illumina oculos meos, quos tenebricoſus Serpens peccatorum caligine obſcuravit: & pœnitentiæ portas aperi mihi; atque ad vitam deduc me; & à flammis ac tenebris eripe me.

ODE III.

Totum deſiderium meum exito ad te, ò Puriſſima Domina; à carnalibus concupiſcentiis quantocyus libera me.

Affulge mihi puriſſimis pœnitentiæ radiis, ò Domina, porta lucis: & peccatorum meorum diſſipa nebulam.

O ſola immaculatiſſima, libera me ab omni macula, & à tentationibus, quæ me aggrediuntur, atque ab igne ſempiterno.

ODE IV.

Animam meam illumina, cri-

minum tenebris inobſcuratam, ò Virgo perpetua, quæ Solem Juſtitiæ peperiſti.

A tentationibus eripe me: & ab hujus vitæ mortiferis tempeſtatibus, atque ab igne æterno libera me, ò Sponſa Dei.

O Virginitatis monimentum, & incomprehenſibilis naturæ tabernaculum: animam meam illumina, plurimis paſſionibus obtenebratam.

ODE V.

Laudamus te, ò Virgo omni laude digniſſima, atque ab omni labe mundiſſima, quæ Verbum Dei in utero tuo continuiſti.

Ab igne inextinguibili, atque à verme libera me, ò Mater: quippe quæ lenitivum doloris illius habes; ſcilicet miſericordiam.

Murus, & firmamentum fidelium es tu, ò Sanctiſſima: & à tentationibus ſalvas eos, qui te laudibus exornant.

O-

ODE VI.

O Maria, mundissimum Regis omnium conditoris Palatium: da mihi lacrymas ad animam purgandam; & à futura sententia ac supplicio eripe me.

O Deipara, porta Dei: divinos aditus ostende miseræ animæ meæ, in quos ingrediar cum confessione, & malorum meorum expiationem recipiam.

Peccatorum pelagi, & desperationis fluctus obruunt tempestatibus mentem meam. Miserere mei, Domina; & manum tuam extende mihi, & salva me tu, quæ Salvatorem peperisti.

CATHISMA.

Sanctissima Virgo, Christi Mater, sana intercessionibus tuis infestas animæ meæ passiones: & concede mihi veniam peccatorum meorum, quæ insipienter commisi, coinqui-

nans animam & corpus meum, velut alter Prodigus. Hei mihi, quid faciam in illa hora, quando Angeli ab infelici corpore meam animam separabunt? Tunc adjutrix & protectrix esto mihi, Domina purissima: te enim habeo spem meam ego servus tuus.

ODE VII.

Interfice, ò Immaculata, te precor, peccatum quod vivit in me; & fac me dignum, ò Virgo, ut vitam assequi possim: & à parte malorum, & ab igne æterno redime me.

Propria sponte peccans, & servus factus turpis consuetudinis: ad consuetam pietatem tuam nunc recurro. *Salva me desperatum*, ò *San*ctissima Deipara.

Te gaudium Apostolorum, & gloriam eorum, qui pugnando palmam retulere, fideliter obsecramus, ò Deipara, ut nos, qui te incessanter laudamus, æternæ gloriæ participes efficias.

O-

ODE VIII.

O Dei Genitrix: tu peccata mea, & onus delictorum meorum alleva, ut possim te magnificare.

Tu, quæ Judicem Deum peperisti benignum: supplicationibus tuis redde eundem propitium, ut salvet me ab igne sempiterno.

Delicta mea plurima ad excessum excreverunt. O Deipara, da mihi veniam: & à flamma inextinguibili libera me servum tuum.

ODE IX.

Illumina, precor, ò Porta lucis, oculos cordis mei, peccati tenebris excœcatos, & divinarum illustrationum capaces effice eos; ut per te Filii tui habitaculum evadam.

Miserare, ò Immaculata & Pura, miseram animam meam: & exitiales passiones mortifica, & tyrannicè me prementem duritiem & callum evelle: fluenta semper viva la-

lacrymarum ex animo emanantium largire mihi, per quæ liber evadam à gravi damnatione, quæ expectat me.

Murus Christianorum, & stabile mundi refugium, in quo salvamur, es tu, ò Virgo pura, Sponsa Dei. Ex te enim Deus incarnatus, omnibus te dedit protectionem salutiferam: propterea salvum fac me indignum, o Purissima.

DOMINICA ad Vesperas.

STICHERA.

ECHUS PLAGII IV.

AVe Maria Immaculata: Ave terra impolluta: Ave rubus incombustus: Ave reseratrix viarum pœnitentiæ: Ave lapsorum erectio: Ave mortuorum resurrectio: Ave Mons umbrosus, & Palatium: Ave lampas: Ave Thronus igneus Regis Christi.

O Benedicta, ab omni labe immunis,

nis, quæ partu tuo homines à maledictione liberasti: benedico, & glorifico te corde, & ore. Converte me mente seductum, & in fraudem prolabentem, ac pereuntem, atque exitio obnoxium, ut salutem consecutus, tuam semper potentiam glorificem.

Ave Dei Mater inviolata: Ave spes fidelium: Ave mundi emundatrix: Ave servorum tuorum ab omni tribulatione liberatrix: Ave hominum consolatio: Ave vitam afferens defensio: Ave antemurale invocantium te: Ave divina Dei habitatio, & Mons Sanctus.

CANON.
ECHUS PLAGII IV.
ODE I.

Animam meam vitæ voluptatibus obscuratam, ac mundanis solicitudinibus importunè confusam, & perturbatam: tu, Dei Mater, illuminatione tua nitidam serenãque redde.

Apertæ sunt portæ Cælorum per

partum tuum divinum, ò Dei Mater. Tu igitur compassione prædita concede animæ meæ ingressum illarum, & eo perducito illam.

Porta salutaris facta es, ò Virgo, ejectis ex Edem; per te enim omnibus nobis meliora promanant. Dele, te precor, peccata mea.

ODE III.

Peccatorum somno gravatam, & in Inferni ventrem prolapsam animam meam, eripe, ò Domina; & pœnitentiæ veræ cogitationem concede mihi, ò divina felicitate cumulatissima.

O sola omni laude dignissima: irrequietos gemitus, ac profusas lacrymas, & cor contritum da mihi; & deflebo ea quæ perpetravi, & passiones ad prudentiam carnis conducentes me.

Errantem me diversimodè à divinis viis, & ad invia mente inflexum; fac, ò Castissima, per viam immacu-

latam recto tramite constanter incedere; & per semitas ad Deum ferentes dirige me.

ODE IV.

Tu, quæ Deum Verbum ineffabiliter genuisti: animam meam vulneratam alliga; & efficacissimum Filii tui pretiosi sanguinis pharmacum eidem instilla, quod & lethiferum Inferni ventrem dissolvit, & mũdo resurrectionis fontem emittit.

O Sponsa Dei, emitte animæ meæ, fluentum purgativum delictorum, & pravas ejus cogitationes emunda & fac eam dignam, ut purissima evadat: ad tuum enim patrocinium, atque ad auxilium tuum, ò Deipara Virgo, recurri.

Ad te purissimam Dei Matrem confugi, habens Advocatam, quæ pudore suffundi, ac rejici non potest. Nunc hostium ictus, & impetus, & peccati murum superabo, firmam in te expectationem

ha-

habens, & virtute tua munitus.

ODE V.

Spiritualem tunicam mihi per baptiſmum donatam, nefariis cogitationibus, turpibuſque actionibus inquinavi. Sed tu, ò Virgo precare, ut nitidum ſalutis indumentum mihi circum ponatur.

Tota animi alacritate, & ad defenſionem tuam propero, ò Immaculatiſſima, & oculos animæ meæ intendo ad te. Ne arceas me à te: ſed ſuſcipe, velut Benigniſſima, & redime me: & ablue ſordes peccatorum meorum.

Me mente mortuum, & peccatis corruptum, vivifica tu, quæ vitam peperiſti incorruptibilem, & ſpirituali renovatione ad immortalitatem commuta me, ò divina felicitate cumulatiſſima.

ODE VI.

Receſſi à Deo, luxuriosè vivendo:

do: & servus voluptatum miser factus sum, omnique divina virtute spoliatus. Sed tu, Domina, converte me.

Fugitivus præcepti mihi impositi factus sum: & elongatus à vita, morti appropinquavi. Sed tu manuduc me ad conversionem, ò Dei Mater Augustissima.

Tu, quæ Salvatorem, ac Redemptorem, atque omnibus misericordiis plenum peperisti: miserere mei, ò Purissima; & salva ac redime me à circumdantibus me, crudeliterque insultantibus infirmitati meæ.

CATHISMA.

Universorum Factor & Dominus, ex utero tuo immaculato carne suscepta, Patronam te hominum, ò Purissima, constituit. Propterea omnes ad te confugimus servi tui; & propitiationem peccatorum, & liberationem à tormento æterno, atque ab omni vexatione Rectoris

Mun.

Mundi postulamus. Ideo etiam clamamus ad te, dicentes: Intercede pro nobis apud Christum Deum, ut delictorum nobis veniam largiatur.

ODE VII.

Protectione & patrocinio tuo tuere servum tuum, ò Virgo: & à gravium peccatorum maculis emunda, ò Immaculata: ut clamare possim: Deus benedictus, &c.

Porta es lucifera, ò Virgo, luce inoccidua in te suscepta: & illuminas, ò Pura, eos qui cum fide clamant ad te: Benedictus fructus ventris tui: ò Castissima.

Ad te, Virgo Mater, accurro, jaculis lethalibus vulneratus. Tu integra armatura tua circumda me clamantem: Benedictus fructus ventris tui: ò Castissima.

ODE VIII.

Omnipotens Dominus, qui habitavit in utero tuo: turrim securitatis fidelibus te constituit: ad quam re-

recurrentes, à tentationibus liberamur, & à periculorũ experimento immunes evadimus, concordi voce concinentes: Sacerdotes benedicite, &c.

A ſacratiſſima diſciplina & institutione excidi, ò Domina, ad peccatum impotenter attractus: atque illius ſervituti ſubjectus: libertate quæ eſt in Chriſto, & juſtitia vera ſpoliatus ſum. Tu verò ne deſpicias me, ò ſalutis theſaure, confugientem ad te, nudum, atque ad ſummam inopiam redactum.

Illuceſcens mihi, ò Caſtiſſima; animæ meæ caliginem, paſſionumque mearum tenebras expelle: & turbulentiſſimam peccati tempeſtatem, ſpirituumque malorum impetus in tranquillitatem velociter commuta; ò Sanctiſſima, utens materna confidentia.

ODE IX.

Deum verum, quem peperiſti; ne ceſſes, Dei Mater, deprecari, ut pec-

peccatorum remissionem, & omnimodam malorum jam perpetratorum, servis tuis indulgentiam concedat; & cum omnibus Sanctis æterna fruitione eos dignos efficiat.

Exue me, Virgo, turpi gravium meorum peccatorum veste: & indue me splendida stola gloriæ, & salutis indumento, atque illuminationis amictu: gratia, scilicet, illis concessa, qui te, ò Dei Genitrix, incessanter magnificant.

Esto mihi turris salutis, o Purissima, quæ dæmonum acies repellat; tentationum ac periculorum tela rejiciat; & passionum impetus procul arceat: donetque mihi puram libertatem, & divinorum charismatum abundantiam concedat.

FERIA II.
ad Vesperas.

STICHERA.

OMnes peccatis superavi: plurimaque luxuria animam

meam

meam maculavi, mentemque reddidi coinquinatam, miser: & jumentis insipientibus similis factus sum, infelix. Festina ergo, ò Immaculata, & salvum fac me inutilem servum tuum: etenim Christum omnium hominum Salvatorem peperisti, ò omni laude dignissima.

Hei mihi, infelix anima mea: quare turpiter serva facta es crudelissimi Mundi Rectoris, atque illius efficis voluntatem, inobediens præceptis Factoris tui? Atqui priusquam finis adveniat, ex intimo exclama: O Dei Mater, festina, & à fraudolento Dracone libera me: tu enim, ò Sponsa Dei, es totius mundi lætitia.

Tempestas peccatorum deprehendit miseram animam meam: atque in profundum desperationis graviter attrahit eam. Accelera, ò Immaculata, & gubernacula rege, & dirige me ad portum divinæ voluntatis: ut glorificem multa mirabilia tua cum lætitia: ò Purissima Domina, Mater Christi.

CANON.
ECHUS PLAGII IV.
ODE I.

Propitium mihi redde Christum, ò Virgo tota immaculata, in die Judicii; eripiens me à tremenda damnatione.

Illumina me, ò Virgo, quæ lumen inocciduum peperisti: ac tenebras profundissimas negligentiæ me repelle.

Imbrem compunctionis stilla super me, precor, ò Virgo: atque inhærentes mihi sordes ablue, ut te glorificare possim.

ODE III.

A sacra disciplina excidens; jumentis comparatus sum, & damnatus totus factus sum. O Immaculata, quæ Judicem peperisti, ab omni damnatione libera & salva me.

Ad te assiduè confugio, ò Domina, multitudine tentationum quoti-

tidie circumvallatus. Miſerere mei, & ſalva me, ò ſola omni laude digniſſima, quæ omnium Salvatorem, & Dominum peperiſti.

O Porta impervia, quæ ducis ad Deum: pœnitentiæ portas aperi mihi precor, ò Puella Deo cariſſima: atque imbribus miſericordiæ tuæ, peccatorum meorū ſordes emunda.

ODE IV.

Sana vulnera animæ meæ, ò Deo gratiſſima Virgo: & illumina mentem meam, paſſionum ingruentium tenebris obſcuratam.

In ſegnitie dormientem, ac peccatis coopertum: ad pœnitentiam revoca me, ò Caſtiſſima, tanquam Verbi Mater.

O Domina thalami neſcia, quæ incarnatum Verbum peperiſti: illumina animam meam, & à gehenna ac ſupplicio libera eam.

ODE V.

Animæ meæ paſſionibus, cunctis in-

incurabilibus, medicinam adhibe, ò Puella: & extinctam negligentia lucernam meam, iterum accende; & ad pœnitentiæ vias deduc me, ò Virgo: ut te cum fide, & affectu glorificem.

Me ipsum condemno etiam ante Judicium, ignominiæ opera circumferens, solus, damnatus. Sed tu, ò Deo carissima, assiste mihi, cum sis patrocinium omnium; & à gravissima damnationis sententia libera me.

Ne cesses liberare me à captivitate, & à mortifera tempestate, quæ deprehendit me; atque à passionibus, quæ sæva nece, me interimunt: ò Sanctissima puella peccatorum patrocinium, & promptum hominum auxilium.

ODE VI.

Multis me transgressionibus mortuum; tu ò Virgo Deipara, quæ vitam ineffabiliter peperisti, vivifica,

ca,

ea: & prosperо itinere dirige me ad voluntates Domini faciendas.

Te præsidium ac murum possidemus omnes fideles, qui in profundo malorum, & tribulationum fluctuoso mari semper periclitamur: ò Deipara, sola hominum refugium.

Tu, ò Immaculatissima, quæ infidelitatis plantas germine tuo sancto arefecisti: repullulantem in me passim inimici, malitiam abole, ò Purissima.

CATHISMA.

ECHUS PLAGII IV.

Salvator Dominus, & Creator; ex impolluto utero tuo, corpore assumpto; tranquillum te portum in tempestate versantibus constituit. Propterea omnes, qui procellis passionum jactamur, & Dolosi ventis percellimur, ad te confugimus ò Venerabilissima: deprecantes, ut refrigerii, & pacis participes efficias clamantes ad te: Intercede apud Chri-

Christum, ut remissionem peccatorum largiatur iis, qui cum timore magnificant Deum, quem genuisti.

ODE VII.

Propitia esto mihi, Virgo: & fomento intercessionis tuæ cura me, peccati gladio vulneratum: & eripe ab igne servum tuum, ò Deipara.

Libera me, Mater Salvatoris, à gravissima captivitate pravarum cogitationum, quæ detinent me, & à nexibus peccatorum: ut salutem consequutus, semper te pro debito glorificem.

Nunc ad te confugio, ò Deipara: tu peccatorum catenis stigmatizatum, libera me per viscera misericordiæ tuæ: & à dæmonibus, atque ab igne æterno redime me.

ODE VIII.

Qui secundum omnia perfectus, natura inaccessibilis est: accessibilis apparuit mihi, circumdatus cor-

pore

porè assumpto ex te, ò Benignissima: Quem tu enixè deprecare, ut iniquitatum mearum pondus dissipet: & à passionibus, dæmonibus, futuro Judicio, ac tenebris exterioribus liberet animam meam.

O Sanctissima, quæ Judicem, ac Dominum ineffabili ratione peperisti: eumdem tanquam Filium tuum, deprecare, ut in hora Judicii à damnatione, & igne ab obscuris tenebris, atque à stridore dentium liberentur ii, qui cum fide ac pietate concinunt: Populi superexaltate in omnia sæcula Dominum.

Passionum morbo ægrotus in animo; obscuratam, atque obtenebratam negligentia semper habens animam: ad lucidam intercessionem tuam cum fide confugio, ô tota Immaculata. Salva me canentem: Benedicite pueri in omnia sæcula, &c.

ODE IX.

Illumina, ò porta lucis, animam meam passionibus obcæcatam,

pravis cogitationibus obscuratam, & in discrimine positam: meque à tentationibus eripe: & à dæmonum molestia, à terribili disquisitione, atque à futura flamma libera me.

Parce mihi, Salvator (qui natus servasti inviolatam post partum Genitricem tuam) cum sedebis ad judicandum iniqua opera mea: & peccata mea dissimulans, tanquam impeccabilis: miserere mei, tanquam Deus & Amator hominum.

Cælestem carbonem in ulnis tuis, tanquam forceps, ferens, ô Deo carissima: animæ meæ passiones combure; & ab igne terribili, à damnatione, atque à crudelissimo Dæmonũ tormento libera me, ô Purissima.

FERIA III.
ad Vesperas.
STICHERA.
ECHUS PLAGII IV.

FLuenta lacrymarum, mentem bonam, humilitatem intensam, & con-

& confessionem turpium actionum mearum, & peccatorum, quæ mihi ex incuria & negligentia adnata sunt; concede mihi, ò Purissima: & dignum me fac, ut puram, prorsusque veram pœnitentiam agere possim, & ad salutem pervenire.

Qui Deus erat ante secula, carne ex sanguinibus tuis accepta, hominum te Patronam constituit, ò Immaculata. Propterea libera servos tuos ab omni necessitate, & adversitate, & à laqueis pessimi hostis: & dignos fac participatione illuminationis Electorum, omnes glorificantes, & adorantes te.

Age anima mea: suspirans, & lacrymarum fontes ex corde effundens, clama ad Virginem Matrem Dei nostri: Propter multitudinem miserationum tuarum libera me, ò Casta, à tremendo supplicio; & habitare fac me, ubi est requies, & gaudium, & fruitio sempiterna.

CANON.

ECHUS PLAGII IV.

ODE I.

Multis tentationibus deprehensus, ad te confugio, quærens salutem, ò Mater Verbi, & Virgo. A rebus malis, & infestis libera me.

Passionum impetus conturbant me, multaque pusillanimitate replent animam meam. Seda eos, ò Puella omni laude dignissima, Filii ac Dei tui tranquillitate.

Me corpore, atque animo ægrotantem, divinæ tuæ visitationis, ac providentiæ tuæ dignum fac, ò sola Dei Mater, tanquam Bona, Bonique parens.

ODE III.

Patrocinium & protectionem vitæ meæ constituo te, ò Dei Genitrix Virgo. Tu mihi gubernatrix esto ad portum tuum; ò bonorum causa;

ſa; ò fidelium firmamentum: ò ſola omni laude digniſſima.

Te precor, ò Virgo, ut animæ meæ turbationem, ac puſillanimitatis procellam diſſipes: tu enim, ò Dei Sponſa, ò Puella ſola omni laude celebranda, Auctorem tranquillitatis Chriſtum peperiſti.

Benefactorem, bonorum Auctorem enixa: beneficenti divitias ſuper omnes effunde: omnia enim potes; quippè quæ potentiſſimum in virtute Chriſtum peperiſti: ò divina felicitate cumulatiſſima.

ODE IV.

Paſſionum mearum tumultum, & procellam peccatorum meorum compeſce, ò Dei Sponſa, quæ Gubernatorem Dominum peperiſti.

Miſericordiæ tuæ abyſſum, imploranti mihi, concede tu, quæ miſericordiam peperiſti, & Salvatorem omnium laudantium te.

Dum in lecto doloris mei; & in-

firmitatis meæ decumbo: tu, tanquam hominum amica, adjuva me, ò Deipara, Mater, & semper Virgo.

ODE V.

Imple, ò Purissima, vitam nostram lætitia, immortale gaudium tuum nobis concedens; tu, quæ lætitiæ Auctorem peperisti.

Redime nos à periculis, ò Deipara Casta, quæ Redemptionem æternam, & pacem, omnem intellectum superantem, peperisti.

Cura, ò Purissima, infirmitatem animæ meæ, dignans eam visitatione tua: & intercessionibus tuis sanitatem concede mihi.

ODE VI.

Dominum, ac Filium tuum, qui se ipsum morti tradens, naturam meam à corruptione, & morte possessam, ab eadem morte, & corruptione salvavit: deprecare, ò Virgo, ut ab hostium malignitate liberet me.

Pa-

Patronam te vitæ meæ, ò Virgo, novi; & tutiſſimam cuſtodiam, ac tentationum turbæ diſſipatricem, dæmonumque me invadentium proturbatricem. Te itaque benigniſſimam rogo, ut à paſſionibus meis liberes me, ò ſummè Immaculata.

Tanquam murum, & refugium poſſidemus te, ò Puella: & animarum perfectam ſalutem, atque in tribulationibus dilatationem: & luce tua ſemper exultamus, ò Domina. Nunc igitur à paſſionibus, & periculis ſalva nos.

CATHISMA.

ECHUS PLAGII IV.

Cum Dominus, & Factor omnium venerit ad judicandam omnem terram: conſtitue me, qui nunc damnatus ſum, cum ovibus ad dexteram poſitis: & à tenebris exterioribus, omnique ſupplicio libera me ſervum tuum inutilem, ò Immaculata, ut cum gratiarum actio-

ne magnificem divitias bonitatis tuæ, ò Deipara summè laudabilis, & lætabundus clamem ad te: Impetra mihi intercessionibus tuis à Christo Deo remissionem peccatorum.

O D E VII.

Ubi salutem nostram ordinare, ac disponere voluisti, Salvator; in utero Virginis habitasti: quam Patronam mundo constituit Deus patrum nostrorum benedictus.

Amatorem misericordiæ, quem genuisti; nunc, Mater, deprecare, ut à peccatis, animæque inquinamentis liberet eos, qui clamant cum fide: Deus patrum nostrorum benedictus.

Corporum languores, animarumque salutem, eorum, qui cum fide accedunt ad protectionem tuam, curare digneris, ò Dei Genitrix Virgo, quæ Salvatorem Christum nobis peperisti.

O-

ODE VIII.

Auxilium tuum implorantes ne despicias,ò Virgo ; dum laudant te, & superexaltant in omnia sæcula.

Medicaminum copiam effundis, ò Virgo, super eos, qui te cum fide collaudant, & superexaltant in omnia sæcula.

Morbos animæ meæ, & carnis dolores sana, ò Virgo, ut laudemus te in omnia sæcula.

ODE IX.

Fluxum lacrymarum mearum ne rejicias,ò Virgo,quæ secundum carnem genuisti illum, qui omnem lacrymam abstulit à facie cunctorum.

Imple gaudio cor meum,o Virgo, quæ gaudii plenitudinem accepisti, & peccati mœrorem exterminasti.

Medere mihi, ò Virgo,qui in loco afflictionis ab ægritudine absumor: atque ex infirmo, in validum commuta me.

FERIA IV. ad Vesperas.

STICHERA.

ECHUS PLAGII IV.

CAnes multi circumdederunt me, cupientes capere animam meam. Ne derelinquas me, ò Sponsa Dei, indignum servum tuum: & pauperis tui confidentis in te, ò Domina, ne obliviscaris in finem; sed tanquam fortissima tutela, eorum machinas, & arrogantes impetus dissipa.

Vide, ò Castissima, afflictionem animæ meæ, & ærumnosæ carnis meæ infirmitatem: & eorum, quæ perpetravi, remissionem mihi concede, ò Dei Genitrix Puella, atque à flamma perenni libera me: ut immensam misericordiarum tuarum, & bonitatis tuæ abyssum glorificare possim, ò divina felicitate plenissima.

Fidelium protectionem constituit te

te Deus universorum, ex tuis sanguinibus, ò Deipara Augustissima, incarnatus: & patronam, & propugnatricem eorum, qui in necessitatibus, & rebus adversis versantur: atque eorum, qui tempestatibus jactantur, portum tranquillum. Tu igitur ab omni tribulatione & calamitate salva eos omnes, qui ad protectionem tuam recurrunt.

CANON.
ECHUS PLAGII IV.
ODE I.

O Immaculata Deipara, seda dolores cordis mei tu, quæ sine dolore, supra mentis ac sermonis captum, Christum peperisti.

Salvum me fac, ò Intemeratissima, tempestate omnium concupiscentiarum exagitatum: tu, quæ Salvatorem, Universi serenitatem peperisti.

Salvum fac me, ò Deipara, in

peccatis pereuntem, & ab omni pœna, omnique damnatione libera me.

ODE III.

Ab affectuum illecebris libera me, ò impolluta: & oppugnantes me hostes, nunc expugna. Stabilem me fac in petra voluntatum Dei: & illumina animam meam, ò porta divinæ lucis.

Te custodiam in tentationibus possideo, o Sanctissima: te post Deum, semper vigilans præsidium habeo: te in die Judicii liberatricem ab omni damnatione, utinam inveniam, ò Castissima.

O Sanctissima Domina, salutis porta, pons transmittens ad Deum, & peccatorum Advocata: me hostis insidiis circumsessum, ac fluctuantem libera, & salvum fac me.

ODE IV.

In te omnem spem meam repono, ò Mater Virgo. Illumina animam

meam

meam tu, quæ peperisti Deum Salvatorem meum.

Sanctissima Sponsa Dei, Domina mundi: tu me à periculis salva ac libera;& passionum turbam repelle.

Me exagitatum turbine alternantium passionum, ne despicias, ò Immunis ab omni labe; sed confirma me in petra mandatorum Dei nostri.

ODE V.

Interemptum me, mortis & transgressionis aculeo, resuscita, o Virgo, quæ vitam incorruptibilem concepisti, & mundi Redemptorem Regemque peperisti: & deduc me ad lucem, o Immaculata.

Mater Virgo Puella, quæ Incomprehensibilem peperisti secundùm carnem; Dei Sponsa, Angelorum gloria, & vulnus dæmonum: cor meum peccatis vulneratum, curatione divina dignare.

Rogo te, ò Virgo purissima, ac divina gratia & beatitudine amplissimè

ſimè cumulata ; ut , quæ fontem miſericordiæ peperiſti, miſericordiæ tuæ portam aperias mihi:& à ſæviſſima flamma, tormento æterno, horrendaque damnatione eripias me.

O D E VI.

Sanctifica mentem meam, & animam meam illumina , o Dei Mater Sancta : & ab anguſtiantibus me afflictionibus libera ; ut glorificem te, firmiſſimum patrocinium meum.

In vaſtiſſimum peccati pelagum projectus ſum; & afflictionum tempeſtates me exagitant , & jactant ; negligentiæ fluctus irruerunt in me: ò Deipara , ne deſpicias me.

Ægrotantem peſſimis tranſgreſſionibus animam meam , cura tu, quæ Deum ſine ſemine genuiſti : & à lethifera dæmonum læſione , atque ab igne æterno redime eam.

C A T H I S M A.

Cum Verbum miſericors & pium pe-

pepereris, ò Domina Universi: miserere omnium, qui ad te in tentationibus confugiunt; & à morbis, omnique pœna, & ab æterna flamma libera eos: ut cum gratiarum actione glorificemus divitias multarum miserationum tuarum, tuamque immensam misericordiam; semperque clamemus: Intercede apud Christum Deum, ut peccatorum remissionem largiatur iis, qui Imaginem sanctam tuam adorant.

ODE VII.

Miserere mei, & salva me, ò Virgo, quæ misericordem Deum peperisti: & luce illa, quæ est in te, illumina animam meam: & ab infesta dæmonum machinatione libera me.

Passionum cordis mei flammam extingue, ò Virgo, rore tuo: & ab igne tremendo, Judicio æterno, dæmonumque tormento eripe me, ò Puella.

Siste affectionum mearum imbres, ò Dei Mater castissima; quippè quæ erro-

erroris fluxus exsiccasti: & aquam vitæ peperisti: & à dæmonum aggressionibus libera me.

ODE VIII.

O Virgo perpetua, fortissimum fidelium auxilium; libera me à seductione Draconis fraudolenti, qui me infesto petit bello, ac perdere festinat: tu enim es certa salus confidentium in te, qui incessabili voce proclamāt: Populi superexaltate, &c.

Dominus, qui in utero tuo impolluto habitavit, te totam puram, lucidamque effecit. Quamobrem purifica me, ò Virgo, veneniferis concupiscentiis, ac noxiis Adversariorum invasionibus pollutum: & animam meam Deo Filio tuo reconcilia per opera diviniora.

Animam meam, Serpentis morsibus interemptam; tu, quæ sola vitam manifestè peperisti, vivifica; ò Immaculatissima Virgo: & prospero itinere dirige eam ad perficiendas

das illius, qui ex te propter nos natus est, voluntates: dum clamat: Sacerdotes benedicite, &c.

ODE IX.

Illumina quæso, ò porta lucis, oculos cordis mei, quos profundissimæ peccati tenebræ obscuraverunt: & pœnitentiæ radium, precor, immitte mihi; atque ab igne æterno eripe me, o Casta, mediatione tua.

Splendore tuo intellectuali illumina, o Carissima Deo Puella, intellectus, corda, & consilia nostra: ut per semitas vitæ rectis gressibus incedentes, misericordiam consequamur: semper laudes tuas annunciantes.

Illumina, ò porta lucis, cor meum malitia excæcatum; & ne sinas me nunc obdormire in morte, dum cogitationum immundarum tenebris assiduè offundor; ut cum gratiarum actione glorificem te, ò Deipara laudabilissima.

FE-

FERIA V.
ad Vesperas.

STICHERA.

O Virgo Deipara Immaculata: deprecare eum, qui incarnatus est ex te; ut eorum, qui te laudibus celebrant, misereatur.

Laudamus intercessionem tuam, ò Puella: salvos fac collaudantes te, & ab igne eripe nos.

Salva, ò Sanctissima Domina, gregem tuum ab hostibus tam visibilibus, quàm invisibilibus: ut possim te glorificare.

CANON.
ECHUS PLAGII IV.

ODE I.

Mortifica carnis meæ prudentiam, ò Virgo immaculata, quæ vitam peperisti: & ab omni supplicio redime me.

Splen-

Splendore lucidiſſimo illius, qui ex te ortus eſt; illumina, ò Virgo, pupillas animæ meæ: ut poſſim te glorificare.

O ſola Deipara, intercede pro nobis ad Dominum: ut in die Judicii ſalutem, divinamque illuminationem inveniamus.

ODE III.

Interceſſionibus tuis libera me, ò Inviolata, ab hoſtis jaculis, & à cogitationibus, quæ crudeliter invadunt cor meum.

Sana, ò Puriſſima Dei Mater, vulnera animæ meæ: & interceſſionibus tuis compeſce turbationem ſpiritus mei.

Cogitationum mearum inſtabilitatem ſiſte, Domina puriſſima: & omnem animæ ſocordiam abole tu, quæ lætitiam peperiſti.

ODE IV.

O Dei Verbum propter me vulne-

neratum (quippè hominum Amatores) ſana vulnera animæ meæ: & mentis meæ tenebras illuſtra.

Dormitatio negligentiæ, & ſomnus peccati occupavit me. Tu, ò Puella, vigilanti interceſſione tua exſuſcita me ad pœnitentiam.

Te, ò Domina ab omni labe pura, ego tentationibus circumdatus, in auxilium imploro. Feſtina, & ſalvum fac me tu, quæ Salvatorem Verbum genuiſti.

ODE V.

Reſpice, & exaudi, Domine, vocem meam: & dele, Domine, omnes iniquitates meas.

In loco afflictionis, ex deſperatione, jaceo: ò Deipara, miſericordiam ſalutis concede mihi.

O Deipara, quæ Solem inoccíduum peperiſti: me, paſſionum tenebris circumfuſum, totum illumina.

O-

ODE VI.

Inordinatos carnis meæ motus mortifica, ò Deipara, quæ malitia mortuos vivificasti partu tuo viventi: ut te, tanquam reformationis hominum causam, glorificem.

Tu, quæ miserationum abyssum, Verbum Amatorem hominum, peperisti: à rebus vitæ tristibus salvam fac animam meam; & spiritualis gaudii januam aperi mihi: in te enim sola colloco spes meas.

Tu, compassionis affectu prædita, quippè quæ Amatorem hominum Verbum peperisti: à violentiis, sævisque adversitatibus eripe nos. Te enim solam, ò Castissima Domina, nos fideles inespugnabile præsidium possidemus.

CATHISMA.

ECHUS PLAGII IV.

Pravis cogitationibus collabens, in profundum peccatorum dejectus sum:

ſum: & ſuſpirans ad te, ex corde exclamo, ò Mundiſſima: Mirifica in me opulentam miſericordiam, miſericordiam, miſericordiam tuam & pietatis tuæ pelagum, ac miſerationum tuarum divitias immenſas: & pœnitentiam, & veniam peccatorum concede mihi; ut ſemper exclamem ad te: Impetra mihi precibus tuis à Chriſto Filio tuo remiſſionem delictorum.

ODE VII.

Hei mihi: quomodo pœnas effugiam, quæ me expectant, cum hic peſſimè vitam peregerim? Quomodo tremendo Judici apparebo, miſer? O Dei Genitrix Domina, eſto tu mihi adjutrix.

Extingue flammam paſſionum mearum; & tempeſtatem malitiæ ſeda, ò Dei Mater puriſſima: & à dæmonum tormento, atque ab igne æterno libera me, o Immaculata.

Vide tribulationem meam, ò Virgo

go quam invexit multitudo malorum meorum: & antequam ex hac vita migrem, refrigerium præbe mihi, maternis tuis intercessionibus Deum mihi reddens propitium.

ODE VIII.

Mortifica, Virgo, omnes corporis nostri motus, quæ mortem Serpenti intulisti vivifico partu tuo: & intercede pro nobis, ut vitam nunquã senescentem consequamur; quò te in omnia secula glorificare possimus.

Te, ò Dei Genitrix, adjutricem assiduè imploro; ne pudore suffundas me, ò Immaculata; licet pudoris & ignominiæ opera habeam; sed miserere mei, ò Virgo; & à flamma, atque à pœna æterna eripe me.

O gratia plena: ostende te mihi in rebus auxiliatricem; & redime me à malis, quæ ex dæmonum violentia invadunt me: ut semper te Deiparam glorificem, præsidium universorum.

ODE IX.

Luce tua vesperis nescia, dissipa, o porta lucis, graves tenebras animæ meæ; & lucidas pœnitentiæ vias ostende mihi, ut per eas incedens, peccati caliginem effugiam, ac te sine intermissione magnificem.

O Dei Verbum bonum: propitiare servis tuis, & peccatorum veniam largire nobis, & à flamma perenni libera nos, & participes effice regni tui: etenim propter humani generis salutem, Crucem & mortem sustinuisti.

O admirabilis, & amatrix hominum Domina, quæ hominum amatorem, & Redemptorem peperisti: precibus tuis peccatorum redemptionem concede mihi; & animam meam, malis cogitationibus depravatam, ad bonitatis statum reduc, ò Castissima: & à passionibus mortiferis liberam effice, ò ab omni nævo purissima.

FE-

FERIA VI.
ad Vesperas.

STICHERA.

Corporis passiones, tentationum illecebræ, dæmonum phantasmata, & pessimæ hominum insidiæ, procellam excitant in me, ò Domina. At tu ab omnibus his salvum me fac: & ne sinas me, ò Castissima in desperationis profundo demergi: ut cum gaudio glorificem potentiam tuam: ò divina gloria cumulata.

Ignorantiæ callo durissimo obduratum; gravis pusillanimitatis gemitu oppressum; angustiæ tenebris obtectum; & totum à peccatis perturbatum, periculisque implicatum: age, ò purissima, velociter ab omnibus tentationibus libera me: te enim solam spem habeo, ò Purissima.

Ad Mundum illum, qui sermone exprimi non potest: ad locum illum, qui semper manet: ad gaudium il-

lud immortale, deduc me, precor, ô Castissima: ubi est illa pulchritudo speciosissima; & ubi fulget lux illa sempiterna, atque excellentissima Filii tui: & ab igne futuro, atque ab omni judicio libera me.

CANON PARACLETICUS

IN DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM,

ET

IN ILLIUS MATREM IMMACULATAM.

ODE I.

TE omni bonitate plenum Verbum precor, Domine, tanquam Factorem, & Deum meum: ut gratia tua protegas me; & ab hostibus visibilibus, & invisibilibus redimas me; atque ab eorum nocumento eripias me.

O refugium tribulatorum, Dei Mater Castissima: sub tuam pro-

tectionem ego famulus tuus cum fide confugi: ab omni malo invulneratum custodi me; precibus tuis flectens Christum, quem peperisti.

Ab hominibus iniquis, ac malignis, & à lingua dolosa libera me, Domine, qui humanam scis infirmitatem. Ut te, tanquam benefactorem collaudem, semper protege me.

Pudore confundantur, qui semper gratis lætantur malis meis; crudeli tabescentes invidia, cùm vident me fortissima protectione tua custoditum, ò Dei Mater, tota casta & immaculata.

ODE III.

Benignissime Domine, qui Danielem ab ore leonum illæsum liberasti: libera etiam me servum tuum ab ore iniquo, & à lingua dolosa; utpotè misericordiæ visceribus præditus.

Dum clamo ad te, ò Virgo, exaudi servum tuum: & ab omnibus vitæ malis custodi me, & salva me,

precibus exorans Dominum, qui solus est Amator hominum.

Delicta mea in occulto perpetrata, ne proferas in lucem, ò Christe. Irritos redde conatus eorum, qui insidiantur mihi, & quærunt ruinam meam: & salva me servum tuum, utpote Benignissimus.

O Virgo, quæ admirabilem Partum habuisti: mirifica nunc super me misericordias, & miserationes tuas copiosissimas; atque ab omnibus Serpentis laqueis libera me.

ODE IV.

Auribus percipe, Domine, verba mea; & suscipe gemitum meum, & sub tegmine tuo sancto protege me, Domine: ut ab hostium invidorum potestate liber evadam.

O Regina, ac Domina: Regem Dominum semper deprecare, ut abroget omne consilium initum contra me servum tuum: & me ab omni læsione ac periculo immunē conservet.

Ad te cogitationes meas refero: ad te oculos, & cor meum protendo, ò Omnipotens. Tanquam passerem, eripe me à laqueis omnis venantis, & insidiantis mihi.

O expers omnis maculæ, quæ Potentem robore peperisti; infirmitatem meam, te precor, corrobora; & à dolosa potestate hominum, dæmonumque infestorum libera me, ò Purissima.

ODE V.

Da mihi auxilium de tribulatione, ò Amator hominum: & infirmos redde eos, qui ob invidiam aggrediuntur me, & gratis affligunt me: & ab illorum expectatione eripe me, ò Benignissime.

Esto gubernatrix mihi, ò Domina, inter pelagi fluctus versanti: & à mundi scandalis, à Dæmonum hominumque malorum violentia, à periculis, atque ab exitio, libera, obsecro, ò Immaculata.

Irritos redde conatus eorum, qui gratis me tentationibus experiuntur; & ne facias me gaudium hominum invidentium felicitati meæ, ò Domine JESU, qui nosti infirmitatem meam.

Nocte, & die, ego famulus tuus invoco te, ò Virgo, in adjutorium meum. Ne despicias me, neque confundas me ab expectatione mea, quam habeo in te.

ODE VI.

A tempestate, periculis, & scandalis vitæ salvum me fac, ò Amator hominum. Protege me manu tua ab injusta visibilium, atque invisibilium hostium violentia, ut possim laudes tuas decantare.

Sana, te oro, ò Deipara, dolores, passionesque corporis; & ab omnis invadentis me tentationis, periculis serva; & custodi me intercessione tua apud Deum.

Domine, qui pueros in Fornace

ab omni læsione immunes conservasti: conserva etiam me servum tuũ, illæsum ab omni maligno consilio, ac violentia eorum, qui ob invidiam hostiliter persecuntur me.

Peperisti supra naturam, illum qui prius erat. Eumdem ergo deprecare, ò Dei Genitrix Virgo, ut à periculis hostium invisibilium, qui frequenter aggrediuntur me, illæsam custodiat animam meam.

CONTACIUM.

O inexpugnabile præsidium tribulatorum, & solicita defensio recurrentium ad te: eripe me à periculis; neque despicias me tu, quæ es auxilium omnium.

OECUS.

Suscipe deprecationem nostram, ò Mundi ornamentum. Quemadmodum suscepit Filius tuus lacrymas Meretricis, fidem Cananeæ, gemitus Publicani, Petri pœniten-

tiam, & Viduæ minuta: ita suscipe, ò Sanctissima Sponsa Dei, eos qui te deprecantur. Ne despicias, neque repellas, ò Laudatissima, famulos tuos fideles, neque me etiam, in luto operum meorum jacentem: & iis, qui nunc implorant auxilium tuum, salutarem dexteram tuam porrige, ò Purissima. Ne despicias me, ò Adjutorium omnium.

ODE VII.

O terribilis in consiliis: omnia animæ meæ consilia dirige ad te: eos verò, qui consilium ineunt contra me, ne sinas, ò Benignissime, nocere mihi unquam; sed libera me totum ab expectatione eorum: Deus patrum, &c.

Animam meam, plurimis vitæ erroribus obtenebratam illumina, quæso, ò Purissima, quæ lucem divinam peperisti.

Irritos redde conatus hostium meorum, qui ob invidiam me tenta-

tationibus experiuntur: & salva me confidentem in te, ò Benignissima.

Vias tuas, Christe Deus, utpotè bonus, notas fac mihi; & semitas tuas edoce me; & ne permittas me tentari ab hominibus malignis, & dæmonibus infestis: sed fortissima manu tua protege me, obsecro, semper.

Ad te Puram, sordidas manus extendo, ò Puella; manifestè cognoscens viscera misericordiæ tuæ. Ne despicias deprecationem meam, ò Immaculata: sed esto mihi murus fortissimus à facie inimicorum; & ab expectatione eorum libera me.

ODE VIII.

O Amator hominum: quemadmodum semper liberasti David fidelem tuum à tentationibus eum invadentibus: ita eripe me semper famulum tuum à supervenientibus laqueis; ut te laudibus celebrare possim.

Peperisti, ò Pura, malitiæ exterminatorem Dominum: quem deprecare, tanquam Filium & Deum tuum, ut ab hominum malitia, & à dæmonũ lesione liberet me validissimæ protectionis tuæ glorificatorem.

O beneficiorum collator Christe: quemadmodum olim Manassem vinculis detentum & captivum, ad te solicitè clamantem salvasti; salva me etiam clamantem ad te, ab expectatione eorum, qui hostiliter oderunt me; & fac me eorum viribus superiorem.

Anima mea, noxiis voluptatibus vulnerata est: & multiplicati sunt, qui tribulant me, inimici mei. Adjuva me Domina, spes unica desperatorum, assiduis tuis precibus ad Adjutorem, & Deum omnium.

ODE IX.

Quia Deus es misericordiæ, & miserationum: miserere mei, ò Christe, qui solus bonus es: & ab

omnibus tentationibus, quæ per invidiam accidunt mihi, libera me, & salva me.

Multi sunt hostes; qui pugnant ab alto contra me: multi etiam sunt in terra, qui ob invidiam, assiduè invadunt infirmitatem meam, à quibus salvum me fac, ò Virgo.

Miserere mei, qui peccavi tibi, ò unice Misericors: & debitorum præcisionem concede mihi: & à noxiis hominibus, qui me lædere conantur; nunc eripe me.

Laudes tibi concino, ò Deipara; quia per te ab omni ingruente tentatione salvus evado; tibique totis viribus clamo: Esto semper adjutrix infirmitati meæ.

CONTACIUM
Canendum in Advocatam.

ECHUS PLAGII II.

O Patrocinium Christianorum, quod pudore non confundi-

tur! O interceſſio apud Factorem, quæ non mutatur, aut poſtponitur! ne deſpicias errantium peccatorum voces: ſed anticipa, utpotè Benigna, in adjutorium noſtrum, dum fideliter ad te clamamus: Accelera ad intercedendum, & feſtina ad exorandum, ò Deipara, perpetua eorum, qui te honorant, patrocinatrix.

OECUS.

Extende palmas manum tuarum, quibus omnium Dominus, tanquam infans geſtatus eſt: propter multitudinem bonitatis, Ne derelinquas nos ſperantes in te. Vigilanti patrocinio tuo, atque immenſa compaſſione tua, miſerere nobis, & parce animabus noſtris, cum ſis fons pietatis: te enim præſidium poſſidemus, ò Immaculatiſſima, ex recenti afflictione liberati. Tu verò, tanquam miſericordiæ viſceribus prædita, feſtina; & propera ad intercedendum pro nobis.

ALIUD CONTACIUM.
ECHUS II.

O Solicita interceſſio, ac murus inexpugnabilis. O fons miſericordiæ, mundique refrigerium. Totis animi viribus ad te clamamus: o Domina Deipara, præveni, & à periculis libera nos tu, quæ ſola celeriter Patronæ munera exerces.

OECUS.

Quid detur mihi, aut quid apponatur; quando poſtulabo cum gemitu ex corde abſolutionem delictorum meorum? Animam enim criminibus inutilem reddidi, & carnem peccatis coinquinavi; mala, ut nullus alius mortalium, audacter operatus. Quare ingemiſcens clamo: O Deipara Puriſſima, ne deſpicias me; ſed accelera ad ſalvandum me: liberans me à plurimis peccatis, tu, quæ ſola celeriter Patronæ munera exerces.

Ne aliquot pagellæ vacarent: Paracleticis S. Joannis Damasceni aliquot ejusdem Theotocia ex Græcorum Octoëcho *subjungere placuit. Sunt autem* Θεοτοκία*; idest* Theotocia, *versus ad Deiparam spectantes. At verò* Ὀκτώηχος*, idest* Octoëchus, *idem valet ac* Octosonus*: continet enim octo sonos, seu tonos, quibus Græci in Ecclesiasticis Officiis utuntur.*

EX ECHO I.

Matrem te Dei, omnes scimus verè esse Virginem, Divitem in misericordiis: quamobrem ad te clamamamus, cum affectu confugientes ad tuam bonitatem. Te enim habemus peccatores protectionem: te possidemus in tentationibus salutem; solam omni nævo carentem.

MARIA, sacratum Dei receptaculum: tu nos excita, dum præcipites ruimus in chaos diræ damnationis, errorum, & ærumnarum. Tu

Tu etenim es delinquentium ſalus, & auxilium, forteque patrocinium, tuos ſervans famulos.

Lignum vitæ te novimus, ò Virgo: non enim eſcæ fructus mortem ferens hominibus, ex te germinavit; ſed vitæ æternæ fruitio in ſalutem noſtram, qui te laudamus.

Sanctorum Sancta, Deipara laudabiliſſima, expectatio gentium, & ſalus fidelium: ex te ortus eſt Redemptor meus, & vitæ dator, & Dominus; quem deprecare, ut ſalventur ſervi tui.

Petitiones fidelium ſupplicantium, ò laudibus omnibus celebranda, ne deſpicias: ſed accipe eas, & offer, ò Impolluta, Filio tuo Deo, ſoli Benefico: te enim Patronam poſſidemus.

O Virgo; eum, qui te ex pro ſua bonitate naſci ſibi complacuit, exora velut Creatorem & Deum: ut ſalvet à tentationibus, & calamitatibus eos, qui ſemper ſperant in te, ò Puriſſima.

Sal-

Salve fons perennis aquæ vitæ: Salve Paradiſe deliciarum: Salve murus fidelium: Salve thalami neſcia: Salve totius mundi gaudium; per quam nobis ortus eſt Deus patrum laudabilis ac ſupergloriosus.

Matrem tuam exhibet tibi ad interceſſionem populus tuus, Chriſte. Tu advocationibus ejus miſericordias tuas nobis elargire, ut te glorificemus.

EX ECHO II.

O miraculum novum omnium antiquorum miraculorum! Quis enim novit Matrem ſine viro enixam, & in ulnis ferentem eum, qui univerſam creaturam circumplectitur? Hunc tu, ô Puriſſima, ut Infantem tuis ulnis geſtans, & maternam confidentiam erga ipſum habens, ne ceſſes deprecari pro honorantibus te; ut miſereatur, & ſalvet animas noſtras.

Te portum ſalutis, & murum inconcuſſum, Deipara Domina, om-

nes

nes fideles novimus: tu enim tuis interceſſionibus, à periculis redimis animas noſtras.

Cum affectu te honorantes, interceſſionem tuam referimus, ò Puſra. Voces famulorum tuorum ſuſcipe: libera omnes à tentationibus, & ab igne futuro.

Quam elegiſti, Domine; ſuſcipe compaſſivè Matrem tuam Advocatam pro nobis: & tua benignitate omnia replebuntur, ut te omnes cum tua Genitrice magnificemus.

EX ECHO III.

Te, quæ mediatrix fuiſti ad obtinendam ſalutem generis noſtri, laudamus, ò Deipara Virgo: in carne enim ex te aſſumpta, Filius tuus, & Deus noſter, Crucis paſſione ſuſcepta, redemit nos à corruptione, utpotè hominum Amator.

Recordare, Chriſte, Gregis quem acquiſiſti paſſione tua, glorioſiſſimæ Matris tuæ compaſſivas allocutiones exaudiens: & reſpiciens in an-

gu-

gustia positos, libera eos virtute tua.

O Purissima, quæ sola inter Creatorem & homines supra mentis captum, Mediatrix fuisti: Filium tuum exora, ut servis tuis errantibus, propitium se præstet, & propugnatorem.

A peccatorum abysso, & à perturbationum procella libera me, ò Purissima. Portus enim apparuisti, abyssus miraculorum, ad te cum fide recurrentibus.

Posuisti nobis, Christe, Oratricem, quæ rubore non suffunditur; eam videlicet, quæ te peperit. Illius intercessionibus propitius, nobis impartiaris spiritum communicativum bonitatis, qui ex Patre per te procedit.

EX ECHO IV.

Annue supplicationibus famulorum tuorum, ò Irreprehensibilissima, sedans calamitatum nostrarum insultus, & ab omni tribulatione nos liberans. Te enim solam firmam, & securam anchoram habemus;

&

& tuum patrocinium poſſidemus. Ne pudore ſuffundamur, Domina, te invocantes: Accelera ad ſupplicationem fideliter clamantium ad te: Salve Domina, omnium auxilium; gaudiũ & protectio animarum noſtrarum.

Tu ſola habitatoribus terræ ſupernaturalium bonorum Conciliatrix facta es, ò Dei Mater: unde tibi decantamus: Salve.

Tabernaculum divinum ac ſanctificatum Altiſſimi, gaude. Per te enim, ò Deipara, datum eſt gaudium iis qui clamant: *Benedicta tu in mulieribus*, ò Domina immaculatiſſima.

Attrahit me ad canendum hymnos, ignis intimus amoris virginalis; ut exclamem Matri & Virgini: Benedicta tu: tecum Dominus virtutũ.

Matrem tuam, Chriſte, quæ te in carne ſine ſemine peperit; & Virginem verè, & poſt partum incorruptam manentem: offerimus tibi deprecatricem, ò Domine multæ miſericordiæ: & peccatorum indul-

gen-

gentiam largiaris omnibus, qui clamant ad eam: Salve revera thesaurus vitæ.

EX ECHO PLAGII I.

Nuptiarum expers Sponsa, Dei Genitrix pura, quæ Evæ tristitiam in gaudium convertisti: laudamus te, & adoramus nos fideles, quoniam eduxisti nos à malo antiquo. Et nunc, ò Laudabilissima ac Sanctissima, precare pro salute animarum nostrarum.

Deprecare incessanter, ò Pura, eum qui ex visceribus tuis incarnatus est, ut liberentur à deceptione diaboli, qui te Matrem Dei laudibus extollunt.

EX ECHO PLAGII II.

Creator meus, & Redemptor meus Christus Dominus, ò Purissima, ex utero tuo progrediens mea natura indutus, à prima maledictione Adam liberavit. Propterea ad te, ò Purissima, velut Dei Matrem, & verè Virginem, clamamus incessanter cum

Angelo te salutante: Salve Domina, patrocinium & defensio animarum nostrorum.

Quæ ex divino fulgore margaritam Christum peperisti: passionum mearum tenebras, & peccatorum tumultum, ò Pura, dissipa luce tuæ coruscationis.

O Deipara, Mater Virgo, quæ Salvatorem Christum hominibus peperisti: à periculis & flagellis libera nos, qui cum fide confugimus ad tuam divinam protectionem.

Laudamus, ò Immaculata, te laudabilissimam. Per te salvati, religiosè canimus, clamantes: Benedicta semper Virgo, quæ Deum peperisti.

Per te, Mater Virgo, lux splendida exorta est toti mũdo: Creatorem enim omnium Deum tu peperisti: quem deprecare, ò Purissima, ut ad nos fideles misericordia magna descendat.

EX ECHO BARY.

Sub tuam protectionem, Domina, omnes terrigenæ confugientes,

ad te clamamus: O Deipara ſpes noſtra, libera nos ab immenſis caſibus, & ſalva animas noſtras.

Tanquam noſtræ reſurrectionis theſaurus, ò Laudabiliſſima; eos qui in te confidunt, educ è profundo lacu peccatorum. Tu enim peccatores ſalvaſti, pariens ſalutem: Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo poſt partum perſeverans.

Salve gratia plena, Deipara Virgo, portus & patrocinium generis humani: ex te enim incarnatus eſt Redemptor mundi. *Sola es Mater* & Virgo ſemper benedicta & glorificata: ſupplica Chriſto Deo, ut univerſo orbi pacem largiatur.

O Virgo quæ eviſceratæ miſericordiæ abyſſum peperiſti: animam meam illuſtra ſplendore tuo lucifero: ut dignè landare queam, ò Puriſſima, abyſſum mirabilium tuorum.

Tu, quæ Deum ſine ſemine concepiſti, & Evam à maledictione li-

be-

berasti, Virgo Mater MARIA, deprecare Deum ex te incarnatum, ut salvet gregem suum.

Benedictus Fructus ventris tui, Virgo Mater Deipara, gaudium omnium: gaudium enim universo mundo peperisti, & lætitiam revera, dissipans mœstitiam peccati, ò Sponsa Dei.

Salve, ò sola Sponsa Dei: Salve, per quam corruptio ablegata est; quippè quæ Deum peperisti, quem deprecare, ò Pura, pro salute omnium nostrum.

Laudamus, ò Intemerata, devotè uterum tuum, qui Deum in se continuit, inexplicabili modo corporatum, dantem omnibus fidelibus divinæ scientiæ illuminationem.

Peperisti Deipara super terram in carne Filium & Verbum Patris, eo modo quem ipse novit. Propterea, Virgo Mater, nos per te deificati, clamamus tibi: Salve ò spes Christianorum.

EX

EX ECHO PLAGII IV.

Super te gaudet, ò gratia plena, omnis creatura: Angelorum cætus, & hominum genus: ò Templum ſanctificatum, & Paradiſe rationalis: Virginalis exultatio, ex qua Deus incarnatus eſt: etenim uterum tuum fecit thronum, eumque latiorem Cælis reddidit. Super te gaudet, ò gratia plena, omnis creatura. Sit tibi gloria.

Tu fidelium gloria es, ò Innupta: tu es protectio & refugium Chriſtianorum: tu murus, & portus. Etenim Filio tuo ſupplicationes offers, ò Immaculatiſſima; & ſalvas à periculis eos, qui cum fide & affectu te puram Deiparam agnoſcunt.

O MARIA Deipara innupta: vanas redde ſpes inimicorum, & lætifica laudantes te.

L A U S   D E O.

Panie ilekroc Brat moy zgrzeszy przeciwko mnie a mam odpuscic, az do siedmi kroc. Mowi mu Jesus: nie powiadam ci az do siedmikroc, ale az do siedmdziesiąt siedmikroc.